CONSULTATIONES MEDICÆ,

SIVE

SYLLOGE EPISTOLARUM CUM RESPONSIS HERMANNI BOERHAAVE.

EDITIO III. AD POSTREMAM PARISIENSEM

Cæteris ante hanc datis perfectior & auctior.



VENETIIS

MDCCLXVI.

Apud Jo. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.


WELLCOME
HISTORICAL
LIBRARY

PARISIENSIS EDITOR

BENIGNO LECTORI

S. P.

BOerhaavianorum ſcriptorum dignitas adeo orbi litterato innotuit, ut eorum laudibus ſuperſedere multo ſit conſultius, quam in iis immorari. Nullus ergo dubito quin quas ejus Conſultationes Medicas tibi, B. L. offero, lætus accipias, eoque lubentius, quod innumeris purgatas mendis tum typographicis, tum grammaticis, reperies. Utinam omnibus! ſed cum Londinenſi Editori in Epiſtolis Boerhaavio miſſis, ac in ejus reſponſis, vel verbum mutare religio fuerit, hujus exemplis edocto, quæcumque menda grammatica typographis exprobrari non poſſe ſuſpicatus ſum, ea mihi attingere religio fuit.

De medicamentorum Boerhaavio in hiſce Conſultationibus familiarium uſu pauca obſervare fortaſſe operæ pretium erit.

Eorum ſimplicitatem Autori nemo vitio vertet, niſi ignorans morborum cauſas anguſtiſſimis limitibus circumſcribi, utut pro partium affectarum ratione proteiformes merito dici poſſint. Sed ne extra carceres vagari videar, de chronicis tantum faciam verba. Obſervat rerum medicarum æquiſſimus judex Celeberrimus Frider. Hoffmannus, " eorum qui diu-
„ tius trahuntur morborum cauſas plerumque eſſeob
„ ſtructiones & indurationes minimorum vaſculorum
„ in emunctoriis & glanduloſis viſceribus, inutilium
„ & ſuperfluorum tam ſecretioni quam excretioni
„ dicatis; quibus oppilatis non poteſt non ingens
„ vitalibus ſuccis conciliari impuritas, ac demum

„ ipſa viſcera, & glandulofa excernicula penitus op-
„ pleta, indurata, & tumefacta, in putridam cor-
„ ruptionem, exulcerationem cancroſam, vel in ab-
„ ſceſſum concedere, aut funeſtis lymphæ effuſioni-
„ bus anſam ſuppeditare. *Therapeut. ſect. II.* " I.
§. 26. Unde ſequenti §. concludit; " nullam aliam
„ ſuppetere methodum (his malis medendi) quam
„ qua vitalis ille vitæ ſanitatisque autor, ſanguinis
„ & humorum per omnia vaſcula itus & reditus
„ liber redditur, ſordiumque, per omnis generis
„ excernicula, evacuatio integra præſtatur; adeoque
„ obſtructiones, ubicumque conſiſtant, expediuntur,
„ atque humores qui in vitio ſunt, per congrua
„ emunctoria educuntur. Jam vero, pergit idem
„ Autor, ipſa dictitat ratio vaſculorum obſtructio-
„ nes nec prius ſolvi, nec ſuccos vitioſos eliminari
„ poſſe, quam mobiles, fluxiles, & ad excretionem
„ apti, redditi fuerint. Hinc utique omnis perlon-
„ gos morbos ſanandi methodus in eo continetur,
„ ut humores craſſi mobiles, ac fluidi, efficiantur,
„ dura emolliantur, ſtricta laxentur, & poſtea va-
„ lidiori facto ſanguinis impulſu per intenſam ſolido-
„ rum actionem, impacti humores concutiantur, diſ-
„ ſolvantur, eluantur, & ſic obſtructionum repagula
„ referentur". Ad hunc autem ſcopum obtinendum, medicamentorum omnium incidendi & aperiendi facultate præditorum *tempeſtivum uſum* commendat, ſcilicet mitiora efficacioribus præmittendo; quod quidem facile ſic ordinari poteſt, cum morborum chronicorum ea ſit indoles, ut, ſi res ægrorum non omnino peſſumdatæ fuerint, curanti Medico dent inducias. Porro fere ſolis incidentibus utitur in remediorum formulis Celeberrimus Boerhaavius.

Quod autem eadem fere ſemper omnibus in circumſtantiis remedia adhibeat, a ſana praxi, ſi etiam

ſu-

supra laudato Hoffmanno fides, nullatenus alienum; quippe qui *Therap. sect. II. ch. 2.* §. 18. eam condat legem: " *perpaucis selectis Medicamentis ad morbos,* „ *& sanandos, & arcendos, utendum* . . . . . paucæ „ enim, & simplicissimæ sunt, morborum causæ; „ ideoque iis etiam removendis pauca sufficiunt ad„ minicula; & ex vero scribit Joannes Langius, Ep. „ 76. *Ego dico desipere eos Medicos, qui pluribus me*„ *dicamentis aliquid expediunt quod paucioribus tran*„ *sigi potest* . . . . Egregium profecto Damasceni „ Aphor. 34. est consilium: *Pharmaca pauca tenen*„ *da tibi sunt, & quorum operationes ac potestates* „ *multoties expertus es; totius enim multitudinis no*„ *titia incomprehensibilis est, & cum per singulas vo*„ *lueris inquirendo discurrere, multiplici diversitate* „ *distentus, nescies cui debeas fidem adhibere* . . . . . „ Scite quoque in hanc rem scribit Wedelius. *Res* „ *se habet hæc instar amicorum. Magis æstimamus* „ *unum vel alterum amicum, quam centum notos.* „ *Multi etiam amicitiam offerunt, pauci merentur.* „ *Ita etiam curiosum, selectum, & expertum, me*„ *dicamentum, reliquis omnibus præferendum est. Qui* „ *omnes habet amicos, neutrum habet; qui omnia no*„ *vit, neutrum novit.*" De Medic. facultat. cognit. & applic. p. 25.

Hæc de Medicamentorum a Boerhaavio adhibitorum simplicitate & paucitate præfato supersunt aliqua super familiaribus aperientibus quibus utitur observanda. Gummata, & gummi resinosa vix unquam a formulis exulant, nostrates autem Medici eorum usum penitus reformidant, nisi, quod profecto rarum est, Batavis & Anglis familiarem in spissitudinem corporum nostratium liquores concrescant. Numquam igitur excidat memoria præclarum illud Cornelii Celsi monitum: *aliud opus est Romæ, aliud*

in Ægygto, *aliud in Gallia*, *lib. I. c.* 8. cujus veritatem confirmat ſæpius repetitum Georgii Baglivii dictum, *ſcribo in aere Romano*.

De frictionum, in quibus præcipuus curationum Boerhaavianarum cardo verti videtur, in curandis chronicis morbis efficacia, differere ſupervacaneum eſt, cum paucis abhinc annis fuſe docteque tractata fuerit hæc materia, & ab Editore Londinenſi in Præfatione tractetur. Supereſt igitur 1. ut Lectores moneam, ſimul atque publici juris fient apud exteros ſequentia volumina, noſtratibus typis committenda; 2. pluribus ditanda Conſultationibus quæ Bibliopolarum Pariſienſium opera a diverſis regionibus expetitæ fuerunt. 3. Cum quo amplior futura earum meſſis, eo melius publicæ utilitati conſuletur, rogatur benevolus Lector ut ſi quid ejusdem generis (quin & alterius, modo Boerhaavianum ſit) in ſcriniis habeat, alteri ex ſupra recenſitis Pariſienſibus Bibliopolis communicet, annexa morbi, ſi fieri poteſt, miſſa ad nitidiſſimum Batavæ Medicinæ jubar hiſtoria.



EDI.

EDITOR LONDINENSIS

L E C T O R I

S A L U T E M

HABES, Amice Lector, fasciculum litterarum, quem tibi pergratum fore non dubito; quippe qui continet plures historias morborum Chronicorum, & inter illos quorundam qui minus sæpe occurrunt. Horum genium, ac symptomatum rationem, expendit HERMANNUS BOERHAAVE, princeps ille nostri sæculi Medicus, & Philosophus; qui ob sacram Artem simplicitati suæ vindicatam & feliciter promotam, de humano genere optime meruit, sibique *monumentum exegit ære perennius*.

Scias solummodo velim exempla hæcce ab ipsis epistolis Boerhavio missis, & ejus responsis, esse descripta, in quibus vel verbum mutare religio erat. Hoc inter omnes constabit, qui illius stylum, aut medendi rationem quam in hisce tenuit, probe intelligunt.

Observatu dignum est, FRICTIONES in his morbis curandis a Boerhaavio vehementer commendari, cui quidem auxilio medelæ summa sæpius innititur. Hoc minus aptum, forsan & ridiculum nonnullis videbitur. Quid enim boni (aient) expectare licet in morbo inveterato, a corporis *perfricatione*, millies, si velis, repetita? Duo in morbis Chronicis peccant, quæ Medici attentionem præcipue merentur, solidorum scilicet vis imminuta est, & adsunt viscerum *obstructiones*: hæ itaque solvendæ, & fibrarum tonus firmandus est. Huic proposito, secundum *Hippocratem*, apprime inservit frictio, cujus leges & effectus his verbis tradit: *Dura ligandi, mollia solvendi, multa minuendi, me-*

diocris carnem augendi, vim habet (*a*). Ipse summus Magister hæc ultra non exposuit, Artis peritis scribens; hanc vero ejus fuisse mentem ex eleganti commentario constat, quem super hoc loco concinnavit Galenus. Sic enim ille: *mollis solvit quæ colligata & coacta sunt: illa colligata dicuntur quæ ob siccitatem aliquam, frigus, phlegmonem, scirrhum, tensionem, repletionem, aut pondus, ægre moventur* (*b*). Quibus verbis nulla invenies, quæ *obstructionum* characteres pulchrius designent. Diu vero post Hippocratis tempora, cum remedium hoc usu magis invaluerit, Medici ejus species & differentias notarunt, sive modum, durationem, varias corporis partes pro morbi genio fricandas, & reliqua quæ huc spectant, definiverunt. De his omnibus gloriabantur, tanquam tot inventis, & Artis egregio incremento, ignari, aut nescire volentes, Medicinæ parentem ante multa sæcula rei summam enuntiasse. Sic *Asclepiades*, uti auctor est *Celsus*, maximam voluminis partem in hoc argumento consumpsit, cujus inventor haberi voluit: "In illo, fatente *Celso*, latius, & dilucidius *ubi* & *quomodo* frictione esset utendum, quam Veteres, præcepit." Hoc Artis sane damno cum cæteris viri scriptis periit; quanquam enim, præ perdita disputandi libidine Medicinæ principia argutiis obscurarit, cum ad morborum tamen curationes ventum esset, longe alium se præbuit. Id ex *Celsi* libris patet, qui illius curationes in plerisque affectat. *Methodici* vero *frictiones*, & corporis aspersiones, in morbis chronicis quam maxime adhibebant; quod ex *Cœlio Aureliano* constat, qui solus ex illustri secta nobis restat.

Aretæus, qui morborum chronicorum concinnam historiam curandi rationi conjunctam exposuit, *frictiones*

(*a*) Ἐν Τῷ κατ' ἰατρεῖον.

(*b*) Lib. sec. de sanitate tuenda, ubi de hac re fuse disserit contra Theonem & alios.

nes in omnibus fere commendat; & in affectionibus illis quæ a singulari partis alicujus vitio originem ducunt, tum locum, tum frictionis modum, indicat. Id summo judicio assequitur in diris illis affectibus, Epilepsia & Cephalæa. Hic vero gravissimus scriptor, ut censent viri in his κριτικώτατοι, sua plurimum ex Hippocrate hausit, cujus habetur purus & fidus interpres. Atqui in hoc argumento *Galenus* solus sufficit, neque plures citare necesse est. Si quis illum super hac materia attente perlegat, statim percipiet *frictionum* usum atque vires, & tum, & ante isthæc tempora, diligenter explorasse Medicos, quorum universo consensu in his malis sanandis principem obtinuerunt locum; sive enim corpus imbecille firmare volebant; aut nutrimentum promptius distribuere quo languidum reficeretur; sive vitalis calor excitandus foret, aut succos pravos digerere & educere oportebat; ad *frictionem* recurrebatur, maximum illud & ultimum præsidium. De ejus modo, aut loco ubi esset instituenda, quandoque disputatum est, de re ipsa numquam. Neque hoc profecto mirum: subtile enim argumentum magnas habet difficultates, ut modus & limites figantur. Hanc provinciam suscepit *Galenus*, & docuit cui ætati, sexui, temperiei, quænam & qualis conveniat *frictio*.

Neque in Chronicis solum affectionibus valebat nobile remedium; nam in febribus putridis, ut testatur *Oribasius*, *frictiones* administrabant. Quin in tertianis & quartanis quæ sæpius repetebant, & difficilius resolvebantur, alii (quod *Galeno* placuit) totum corpus fricabant, alii abdomen & hypochondria solum. Id ante accessiones faciebant, ut materiam febrilem digestam ad exteriora *calore* attraherent, hoc est foras expellerent.

Ex his constat, quanta fuerit hujus auxilii auctoritas apud antiquos Medicos, cum ad sanitatem tuendam, tum ad morbos pellendos. Aliæ item gentes, quas

Græ-

Græcorum monumenta haud attigerunt, plurimum utuntur hoc naturæ instrumento. Sinæ & Indi (modo illis qui regiones has peragrarunt fides adhibenda sit) *frictione* sola pertinacissimos morbos curant. Hos homines forsan non litteræ, sed usus & experientia edocuit; quemadmodum rustici, & veterinarii, natura duce, frictiones equis accommodant tum nutrimenti tum medicamentorum loco. Haud itaque temere in sequentibus toties pronunciavit Boerhaavius, *partes esse fricandas pannis calidis, siccis, asperiusculi*: præceptum sane est, si ullum aliud, rei *natura* fundatum æque, ac *veterum Artis principum* auctoritate suffultum.

Rogabit forsan Lector, quo demum fato remedium tanti Veteribus æstimatum, apud Recentiores dignitatem suam amiserit, cum ei nullus, aut infimus certe, in praxi hodierna locus assignetur. Hoc quidem contigisse videtur, quod ratiocinia illa nova quæ ultimo sæculo in scientiam Medicam adscita sunt, theoriam morborum Chronicorum in totum immutarint. Viri nimirum ingenio pollentes, experimentis chymicis Medicinam primo illustrare, dein novam plane condere cœperunt. In hisce affectionibus, vel *acidum* peccabat, vel *fermentum* quoddam *specificum*, aut putrefactio, humores inquilinos infecerat, vel simile quid commentum in causa erat; humores dein exaltati in *speciem* erumpebant, sicque varias morborum *species* edebant; quibus inter se diversis & specifice notatis nova erant & *specifica* invenienda remedia; sicque antacida, elixires varii, magisteria, sudorifera decocta, &c. omnia pervadebant. Mirum profecto non est *frictionem*, quod nimis simplex & vulgare quid audit, inter tot tamque magna remedia, Arte exulasse: Medici enim in specifico pro morbo inveniendo ingenium torquebant (*a*).

Non-

[*a*] In vincendo itaque morbo Chronico, is demum jure meritoque Medici nomen sibi vindicat, penes quem est ejus-

Nonobſtante hac theoria, Practici nonnulli longe aliam monſtrarunt viam. Exemplo erit *Sydenhamus*, ideo citandus quod his de quibus agitur notionibus maxime imbutus erat. Is ſæpe monet, medicamentis ſolis hos morbos non poſſe curari; exercitia quotidiana plus in hiſce valere quam ulla medicamenta; *equitationem* eſſe in Phthiſi curanda æque efficacem, ac eſt *Mercurius* in Lue Venerea, aut *cortex Peruvianus* in febre intermittente. De hac ſane tam mira prædicat, ut viri ſummi judicium, ne dicam fides, nonnullis ſuſpectum fuerit (*a*). In curatione itaque verſatus, ſtomachica pauca commendans, totum negotium *aeri* & *exercitationi* committebat; ſicque animi ſagacitate & eximio candore, ſcopulos illos in praxi evitavit, ad quos Theoria ſua recta ducebat. *Boerhaavius* vero naturæ ipſius in his morbis ſimplicitatem perſpexit, & dudum pronunciarat, "
„ Morbos hos chronicos, varietate quidem infinitos
„ ratione ſymptomatum, tamen ex origine non adeo
„ compoſita pendere, neque tam varia medicamenta,
„ medendive methodum, requirere. "

Medicamenta quæ hic commendantur pauca ſunt, & valde ſimplicia; gummi plerumque ferulacea, quibus adjungit ſuccos plantarum aperientium. Vir Chemiæ probe gnarus, medicamenta quæ hæc ſuppeditat, raro in uſum adhibuit, quanquam bene noverat Alchemiſtas morbos hos pene deſperatos *magnis* ſuis *remediis* nonnunquam ſanaſſe. Illa vero parcius uſurpanda ſunt, quum ægrum ſæpius obruant, ni viſcera ſana & ferendo paria ſint, quod ſemper diſpicere haud adeo facile eſt.

Accedit ad hæc quod fortiora illa intentionibus, quas ſibi propoſuit *Boerhaavius*, minus apte reſpondeant;

in

modi medicamentum, quo morbi *ſpecies* poſſit deſtrui. Sydenham. de Morb. Acut. in Præfat.

[*b*] Sancte aſſerit remedium hoc obtinuiſſe, poſtquam nocturnis ſudoribus diarrhœa illa acceſſerat, quam poſt Hippocratem omnes Medici mortis prænunciam pronunciaverunt.

in his enim malis, si uspiam alias, ex illius doctrina, *lente festinare* oportet: hoc morbi indoles, & œconomiæ animalis ratio, exigit. Neque nos sollicitet ἀκρίβεια illa, quam sibi fingunt nonnulli Anatomes & nostri systematis legum parum periti, qui volunt omnes corporis partes ita esse connexas & inter se compositas, ut minimum quid totam compagem turbet, & afficiat. Ita nos homines machinas fabrefacimus, nosmet vero ipsos longe aliter comparavit summus Artifex; si morbus enim invadat, multa ex omni parte adsunt subsidia ad illum excutiendum; si idem perstet, per multos eat gradus necesse est, antequam vitietur pulcherrima machina: in morbis itaque perinde, ac sanitate, magna datur *latitudo*. Qui vias igitur aperiet, fibrisque robur & elaterem reddet, magni quid præstabit his in morbis; sic enim natura liberius vires suas exseret. Ad hoc annisus est *Boerhaavius frictione*, & medicamentis, quæ leniter *detergunt* & *coacta solvunt*, quæ (ut naturæ spatium concederet) *per sex ad minimum septimanas usurpanda præcipit in spem meliorum*.

Hæc adeo summam faciunt Authoris in his methodi, quæ quidem *perpetua* est, *boni plurimum sæpe præstans*, *mali vero nihil*; atqui talem inire rationem viri erat prudentis æque ac boni Medici, præsertim cum absens foret, & morbi historia imperfecta, imo sæpius turbata, transmitteretur. Haud interim dubium est, si ipse præsto fuerat, quin nonnullis in hisce mutatis, medicamenta magis accommodasset ad morbi stadium, & ægri temperamentum.

Animus erat chartulas quasdam Authoris (quę nuper ad nos perlatæ sunt) huic volumini adjecisse, quum historiamMorborum Chronicorum spectent; sed Epistolarum fatum prius experiri placuit, quibus fruere, & vale.

EPI-



EPISTOLÆ CONSULTATORIÆ
CUM RESPONSIS
BOERHAAVIANIS.



I.

Viro Illustrissimo Hermanno Boerhaave
S. P. D. ***

VEstram opem implorat, Vir Spectatissime, Domina W —— fœmina annum agens trigesimum primum, & ex stirpe vel levissima de causa Phthisi Pulmonali obnoxia: Fibras animales nimium esse laxatas abunde testantur habitus corporis tenuissimus, prostratæ vires, crura vesperi tumida, &c. Usque ad vicesimum ætatis annum convaluit, quum Chlorosi, Fluori albo, & toti Symptomatum Hystericorum catervæ quibus miseræ affliguntur mulieres, capitis dolori, & spirituum dejectioni præsertim, ansam dedit febris acuta, ad cujus remedium

dium medici curantes, justo plus seduli, sexies ad minimum magna quantitate sanguinem mittere haud dubitabant. Hinc tussi, per septem annos ultimo elapsos continuo ingravescente, affecta est; forte etiam nocturnis choreis & vigilationibus plus olim quam prudenti par fuit, nostra indulsisset, minime conscia peccati; nec gulæ nec liquorum spirituosorum potui unquam dedita; de constrictione quadam pectoris quæritur interdum non sine dolore. Materia quædam, saporis nunc salini nunc dulcis, per tussim quotidie exantlatur; & quo majore quantitate hoc fit, eo majores inducias ferunt symptomata quæcumque cætera, quod observatu dignum censeo.

Vel nimia, vel etiam nulla omnino causa data, perspiratio debita frequenter impeditur, unde de novo vires acquirunt importunæ tusses. Ardores Hecticos semel vel bis & leviores experta est: partes musculosæ evidenter, lene tamen, gracilescunt.

Circiter vicesimum sextum ætatis annum nupta, tribus fere ab hinc annis filiolam peperit; ex illo tempore quoad Chlorosin multo melius se habuit, ita tamen ut nullo ordine certo fluant adhuc catamenia. Durante graviditate integram fere faciem impetebant maculæ quædam Scorbuticæ, iis persimiles quibus ingluviei & compotationibus indulgentes sæpe fœdantur, nec adhuc penitus evanuere. Vale, Vir Doctissime, & methodum quæ tibi maxime arridet humaniter imperti; quod quidem, ne in misellæ emolumentum, tuæ autem famæ incrementum cedat, nequaquam dubito. Sum Tui Cultor observantissimus.

RE-

RESPONSUM BOERHAAVII.

Nobili Claroque Viro. * * *

S. D. H. Boerhaave.

Sapienter obſervatum, deſcriptum exacte, & prudenter tractatum hactenus a te morbum conſideravi; unde cogor credere cauſam mali hærere in debiliore tenuis corpuſculi fabrica, tenelli imprimis pulmunculi infirmitate, inde vitanda cenſeo quæ evacuant, viresque temere projiciunt. Inſtaurantia vero amplectenda ſedulo ſuadeo. Hæc inter quum corporis perfricatio, atque motui apta inſtituta exercitatio, cum victu facilis quidem concoctionis, attamen indolis ſiccioris, præcipuas partes obtineant, utendum his haud perfunctorie erit. Addam e re medicamentaria pauca hæc; omni trihorio diei deglutiat tria de Catapotiis A, mox ſuperbibat unc. I. de vino medicato B, obſervans vacui potiſſimum ventriculi opportunitatem. Hæc ſi maturo tuo judicio examinata haud diſpliceant prorſus ea lege) bimeſtri ſpatio commendata velim, in ſpem meliorum. Tu interea, Vir ſapiens & bone, plena utaris ad hæc corrigenda Auctoritate, namque potes: Me autem amicorum numero inſcribere digneris, tuumque facias. Vale.

A. ℞. *Aſæ fœtid.* drach. ſs.
Balſam. Peruv. drach. j.
Catechu,
Maſtiches,
Olibani,
Succi Inſpiſſat. Glycyrrhizæ, ana dr. j. ſs.
M. F. Pilulæ ſing. gr. iij.

B.

B. ℞. *Cortic. Capparid.*
Cinnam.
Tamarisc. ana unc. j. ſs
Ligni Santali citrin.
rub. drach. iij.
Limaturæ Martis rec. non rubig. dr. xij.
Rad. Caryophyllat. unc. ſs.
Helenij. drach. ij.
Imperat. drach. j.
Sem. 4. calid. min. ana drach. ſs.

M. F. Pulvis, unde cum vini Albi Gall. *Lib. VI.* vel vini Luſitan. F. S. A. Vinum Medicatum.



II.

PRofeſſor Celeberrime, ſors miſeranda filii dilecti, opem medicam Principis Medicorum implorare cogit; qui jam adoleſcens annorum ſexdecim bonarum litterarum ſtudioſus, temperiei phlegmaticæ, coloris pallidi, habitus laxi, affectuum volubilium facile movendorum, quinque plus minus abhinc annis, a frigore in pedibus ſuſcepto, affectibus ſpasmodicis ad radices digitorum & dorſum metatarſi pedis dextri incipientibus, ſenſim aſcendentibus, muſculos tali & cruris flexorios violenter & dolorifice contrahentibus afficiebatur; in tendine Achillis dolor maximus. Paroxyſmo poſt aliquot horas ſoluto priſtina valetudine fruebatur, ſed hactenus ſemper recurrebat paroxysmus bis vel ter in anno (poſt frigus ſuſceptum) ferocia majore laceſſens, ratione nulla ad Lunæ phaſes habita; per annos duos primos ſpasmi nunquam aſcendebant ſupra muſculos femoris dextri, ſed poſtea in loco prædicto pedis dextri ſemper exorti ſen-

ſenſim aſcendebant verſus caput, muſculos omnes lateris dextri horrende convellentes, ligaturis quibuscunque non obſtantibus. Quando vero ad caput perveniunt, mirifice & violentiſſime convelluntur omnes muſculi totius corporis, cum omnimoda abolitione ſenſuum omnium internorum externorumque, vel Epilepſia exquiſita in Apoplexiam perfectam deſinens cum ſtertore, ſpuma oris &c. Per aliquot minuta poſt paroxyſmum frigus magnum in dextro crure ſentitur, quod frictionibus facile cedit. Inſultum nitimum terribilem paſſus eſt circa initium menſis Auguſti; morbus ſæpius tempore æſtivo quam hiberno recurrit: Cœlo Boreali frigido optime ſe habet æger.

Notandum quod mutatio aliqua inexplicabilis in dorſo metatarſi pedis dextri ab ægro ſentitur per aliquot horas vel forte diem unam aut alteram ante inſultum, per quam certiſſime prædicere poteſt eum inſtantem. Paucis diebus ante eundem color fit pallidior in lividum vergens; in initio, ligaturæ circa talum &c. cruris dextri remoram aliqualem paroxysmo injiciunt. Obſervandum quod in aſcenſu morbi ad caput ſenſus nullus auræ frigidæ percipitur. Succum expreſſum Hederæ arboreæ, Jacobææ officinalis & Equiſeti ſæpius aſſumſit ex præſcripto Empirici, ſed ſine levamine. Medicus junior conſultus victum ex carne ſola, aromatibus probe condita cum pane bene fermentato injungit. Ab acidis & dulcibus arcet; pro potu quotidiano aquam frigidam præſcribit, cyathis aliquot vini vel cereviſiæ generoſæ de die permiſſis; exercitia moderata, diu continuata, frigore caute evitato, imperat. Eodem auctore æger nunc tantum aggreditur medicamenta ſequentia, videlicet pro quinque primis diebus capit pilulas ex Gummi ferulaceis; poſtea utitur pilulis

B cha-

chalybeatis Sydenhami per longum tempus una cum infuso vino, e radicibus Genzianæ, Zedoariæ, Serpentariæ Virginianæ, Valerianæ Sylvestris & Croco.

Medicus idem proposuit inustionem ferro candente per tendinem Achillis ubi ossi calcis incumbit, adacto ad os usque ferro, una cum paucis superficialibus inustionibus in dorso Metatarsi diu apertis, retentis per digestiva fortia causticis mixta: Sed operationem crudelem instituere recusat, nisi te Medicinæ Oraculum assentantem habuerit. Placeat igitur, Domine humanissime, respondere ad quæsita sequentia. 1. an Medela radicalis morbi horridi certa? an saltem præcaveri possit, & quomodo? 2. an Methodus proposita tibi arrideat? Vel ne alia melior & quænam? 3. Quisnam victus, qualis potus, quænam exercitia observanda? 5. Nonne spes summa in inustione? Si sic tibi videtur, ubinam instituenda, an in uno, vel pluribus locis simul, & quibus? 6. Nonne ferrum crassitiei calami Gallinacei sufficiet? quam profunde adigendum? 7. vel ne ullus metus claudicationis a perforatione tendinis Achillis? 8. An frictiones pannis laneis institutæ, diù continuatæ aliquid ad Sanationem possunt?

RESP.

Legi attentius, intellexi atque perpendi argumentum Epistolæ, iniquam miseratus sortem. Eo acrius animum intendi ut circumspiciendo salutare quid excogitarem; meditatus hæc profero. 1. Vespere ante somnum per semihoram utatur Balneo pedum, & crurum ad genua usque ex aqua calida. Partes hæ siccatæ fricentur quadrante horæ pannis de lana rudiore contextis, calidis, siccis, tunc

cavæ

cavæ plantæ pedum applicentur Emplaſtra A. quæ & Metatarſi dorſo apponantur gerenda noctes dieſque, & tantum deponenda quamdiu balneum inſtituitur, mox iterum obvolvenda locis dictis. 2. Exercitatio corporis deambulatione diuturna quidem ſed moderata, conducet firmandis oſſibus Tarſi, & Metatarſi; etiam mane, & veſpere inſtituatur fortis extenſio tarſi, & metatarſi pedis ut fieri ſolet in reſtituendis partibus hiſce luxatis. 3. Bis in menſe, triduo ante novilunia, & plenilunia ſumat mane hora ſexta jejunus purgans B. uno hauſtu totum; iisdem diebus ſumat veſpere hora ſexta potionem C. una vice. Iisdem diebus veſperi poſt balneum & frictionem, pedes ante ignem leniter inungendi oleo Spicæ, ita ut oleum cogatur penetrare intra meatus cutis, ibidemque coaleſcat: Idemque ita faciendum quoties prima indicia intentati paroxyſmi percipiuntur in pede. 4. Ceteris diebus menſis liberis a purgatione conferet mane jejuno bibiſſe unc. iij. de infuſo D.

Victus ex levioribus, cerealibus, farinoſis, oleraceis, carne & piſce parcioribus, potu cereviſiæ tenuioris; ſomnus plenior veſpere mature capiendus. Ubi hæc trimeſtri ſpatio ſedulo peracta proſunt, ulterius in annum integrum pertinaciter producenda: Si nihil juvant, tum ferrum orbiculare craſſum digito diametri pollicaris candidum ab igne applicandum ad calcis partem poſticam, tam profunde ut urat, quemadmodum carnifex inurens ſtigma Reis ſolet. Eſchara Baſilico ſeparatur, plaga per ſemiannum ſervatur aperta ope Mercurii precipitati rubri Baſilico admiſti quoties conſolidari incipit. Studia Litterarum coli poſſunt ſed moderate. Hæc habeo quæ ſuadeam; Adſpiret Numen. Vale. *Leydæ*. 17 3/3 37.

A. ℞. *Gumm. Ammon.*
Bdellij,
Galban. ana unc. j. ſs.
Emplaſt. Oxycroc. unc. iij.
M. F. Emplaſtrum ad alutam extend.

B.
℞. *Cinnabar. nativ. Hungar.* gr. x.
Reſin. Guajac. gr. v.
Rhei. drach. ſs.
Scammon. gr. viij.
Stib. diaphoret. gr. xv.
Syrup. Cichor. cum Rheo, drach. vj.
Diu accuratiſſime trita ſimul miſce
Cum. Aq. Stillat. Cichor. unc. ij.
F. Hauſtus.

C.
℞. *Aq. Stillat. Rhoead.* unc. ij.
Syrup. Diacod. drach. vj.
Tinct. Opij gutt. viij.
M. F. Hauſtus.

D.
℞. *Rad. Caryophyllat.*
Pæon.
Valerian. Sylveſt. ana ſcrup. ſs.
Rutæ rec. drach. ij.

Minutiſſime conſciſſa infundantur cum aqua fervida inſtar potus *The*, ut ſint quotidie recentes unc. *vij.* paratæ.



III.

GEneroſus quidam Juvenis, cum virtutibus, tum fortuna illuſtris, annum ætatis viceſimum octavum jam agens, poſt multos magni nominis medi-

cos

cos me nuperrime de ſanitate ſua recuperanda conſuluit. Ego, morbi magnitudine durationeque perpenſis, hoſti tali debellando meipſum imparem prorſus deprehendens, a te Medicorum Principe, ſuppetias ut peteret medicus, ab ægroto ingenioſo tandem impetravi.

En ſequentem mali hiſtoriam paucis obſervationibus meis fultam (tempus enim plures colligendi defuit) præcipue vero ab ægri ore hauſtam.

Valebat tempore quo a parentibus Londinum miſſus artes liberales diſcendi cauſa: Sæpe autem ibi cum condiſcipulis ſuis ad cœnam caſeum toſtum cum pane communi noſtro edebat, hocce edulii genere maxime delectatus.

Sub autumni finem, poſt cœnam ſolito uberiorem, lectum petens, a primo ſomno expergefactus eſt, immani adeo dyſpnoea & anxietate correptus, ut omnes adſtantes perterrefacti illum illico moriturum putabant. Intra horam ſymptomatibus evaneſcentibus absque ulla medicamentorum ope evacuationeve ſenſibili ab omni morbo immunis videbatur. Ab hoc usque ad decimum quintum ætatis annum, multos tales paroxysmos ſæpe recurrentes, æſtatis præſertim exitu, autumnive ingreſſu, ſine ulla ſenſibili evacuatione abeuntes, perpeſſus eſt. Menſe Auguſti hujuſce anni morbus ferociter revertens, decem ſeptimanarum ſpatio tenebat: Medicis interea medicamentis catharticis & pectoralibus utentibus. Expectoratio nunc primum ſuperveniens illum ab angoribus tandem liberavit. Viribus jam morbi diuturnitate perfractis ab urbe domum rediit, ubi aeris, exercitiorum, paucorumque medicamentorum pectoralium, incidentium, minus calidorum uſu (paroxysmis ſubinde revertentibus, præſertim frigore ſuſcepto, aut expectoratione recedente) ad vigeſi-

mum secundum ætatis annum satis commode vixit.

Phænomena paroxysmum antecedentia, & concomitantia fuere sive magna varietate, quæ sequuntur: Durante scil. hoc tempore ingentis coarctationis sensus circa cordis scrobiculum, inflationisque per reliquam abdominis partem sævissimi Paroxysmi insultum præivit. His fere sese adjunxit sincipitis artuumque dolor gravativus; urina ante Paroxysmum in hoc ægro fuit plerumque parcior & rubicundior solito, alvusque magis constricta, pallidam sese minxisse urinam numquam observavit. Paroxysmo ingruente præter dyspnoeam, præcordiorum anxietatem, tussim aridam, febris, alvus constricta, urina pauca rubida, pulsu frequenti inæquali caloreque stipata, fere semper se manifestavit; aliquando etiam rigores & horrores adsunt, paroxysmum mali moris denotantes; semper iisdem manentibus vel gradu auctis in statu paroxysmi Symptomatibus, tandem ad exitum tussis evadit humida, phlegma viscidum ejiciens copiose, urina copiosior, sedimentum lateris simile deponit, quo vero majores fuere hæ duæ evacuationes sub prædictis circumstantiis, eo majus levamen ægrum accepisse semper observatum fuit.

Paroxysmus octo vel decem dierum spatio terminatur, verum quando est brevissimus, phlegma non est adeo tenax & crassum, sed gelatinæ C. C. liquidiori simile.

Paroxysmorum intervalla adeo fuere varia ut nil certi de iis dicat æger.

Hæc est Historia morbi ad vigesimum secundum ætatis annum, ab hoc tempore ad vigesimum octavum annum, Hypocondriacus evasit: Paroxysmo itaque appropinquante vel præsente, dejectio animi ingens, sese symptomatibus enarratis jungens, æ-

grum

grum misere torquet. Hoc vero finito, paroxysmorum intervallo ut plurimum hilaris est, facillime spirat, & appetitus viget. Huic Epistolæ mendis repletæ ignoscas, vehementer etiam atque etiam rogo, quodque sit agendum, quidque tibi placeat, pergratum erit si ad me scripseris. Vivat diu valeatque Medicorum nec non humani generis decus, & ornamentum. Faxit Deus! sic vovent omnes, præsertim tui Observantissimus.

RESP.

EXoptatissimas exosculatus sum, quibus me honorasti litteras, gaudens Sapientis Medici amico commercio; utinam tibi tam grato & utili ac mihi! Feras, eximie Medice, ut gratias tibi debitas solvam pro benigno illo testimonio quod de me perhibes. Excitavere interim tenuis conscium supellectilis, obsequium mandatis tuis votisque semper a me (si quid valeo) præstandum, & illustris ægri voluntas.

Expensa mali accurata descriptio facit ut credam Asthma, convulsione natum, infestare; sedes affecta Diaphragma videtur, eo in primis loci quo stomachi finem transmittit ad ventriculum; actio ibi casei igne auctioris crebra tandemque immodica copia ingesti, nervos numerosissimos hic intertextos irritavit, unde Tetanus septi medii, reciprocationem intercipiens dilatationis, & constrictionis in pectore, mortem tum præsertim intentavit; quas tamen suffocationis minas sustulit nata ex ipso malo debilitas, morti proxima, quæ resolvit nervos musculosque tentos dum vis vitalis urget, sicque exacerbationem in his pro tempore mirificat. Sed heu! hæsit mala partibus degeneratio, facillime irritanda

iterum, vel levi de causa, ut calamitoso nimis fato expertus illustris Dominus; sed ita fieri natus! repente nata convulsio infestat repetito ictu semel læsa corpora: quum reversum toties malum singulis accessibus liberum humorum per viscera chylopoietica trajectum impediat, mirum non est inversam horum actionem & inde aggestu atrabilariæ materiei melancholiam accedere, quæ tamen prioris soboles facile radice extirpata expelletur.

Curationi intentus suadeo, 1. omni mane jejuno, omni vespere horula ante cœnam vacuo adeo ventriculo, Abdomen, Hypochondria, Præcordia, Epigastrium, pannis asperiusculis calidis siccis, spatio quadrantis horæ perfricentur: id remedium tam læta largitur præsidia adversus hoc malum ut temere neglectum nolim. 2. Quotidie semi-horæ spatio ante prandium, inani igitur ventre, equitet, tantumdem repetat vesperi bihorio & semihora ante cœnam. 3. Mane a frictione statim deglutiat 5. de catapotiis A. & id repetat quinquies, interpolato semper decem minutorum horæ spatio, tum superbibat ocius unc. de potione B. interim tempore impendendo his leniter deambulet in aula libera; 4. Vesperi mature, sane ante decimam cubet, matutinus surgat: horam post frictionem jentaculum comedere licet & negotiis agendis ipsummet dare usque ad tempus equitationis. 5. Cibum sicciorem, sed facilem coctu, moderata copia laudo, ita tamen ut perfecte maturos fructus horæos commendem, præcipue vacuo ventriculo, cum pauco panis biscocti simul manso, si tempestas calida, sicca, siticulosa. Carnes recentes assæ, Pisces assati, tam fluviatiles quam marini, olera levia, imprimis de Cichoraceorum & Lactucarum tribu, proderunt. 6. His sedulo factis bimestri spatio, tempestivum so-

foret cogitare an acidularum ferratarum æstivus usus sanationem perficeret, una cum exercitio corporis assiduo & vacatione animi a severioribus liberi.

A.

℞. *Sapon. Venet.* drach. iij.
Balſ. Peruv. drach. ſs.
Trochiſc. de Myrrh. drach. j. ſs.
M. F. Pilulæ. gr. iv.

B.

℞. *Rec. Acetoſæ pratenſ.*
Bellid. pratenſ.
Chærophyll.
Cochlear.
Heder. terreſtr.
Naſturt. aquatic.
Taraxaci ana q. s. ut lotis sciſſis tuſis expreſſis Prælo ſucci puri unc. vj. quotidie recentes hora ſexta paratæ exhibeantur.



IV.

Morbus quo laborat Generoſa, Lepræ ſpeciem præ ſe fert, cutis enim hic & illic cruſtacea, ſquammoſa reperitur; cruſtæ hæ articulos & caput præcipue invadunt & indiſcriminatim per totam cutis ſuperficiem paſſim conſpicuæ ſunt, & ſi ſcalpantur Ichorem emittunt album.

Octavo ætatis anno morbus hic invaſit & ad viceſimum tertium cum ætate perrexit, quo tempore rogavit conſilium. Plurima mitiora antiſcorbutica, obtundentia & ſanguinem edulcorantia, epithemata, lotiones, multaque ejusdem generis præſcripſi. Methodus vero hæc voto minime reſpondit, tunc ſalivationem ex uſu Calomelan. & unctione mercu-

riali

riali passa, inde cutis crustis liberata; per mensem dein decoctum Lignorum, decoctum corticis ulmi a Jacobo Daveneto prædicatum, medicamenta viperina, pulveres testacei, variaque ejusmodi exhibita fuere, sed incassum; cum hyeme enim repullulabat morbus. Vere insequente ex usu Mercurii tenuis excitabatur Ptyalismus & cum inde recuperata erat, potationem Aquæ Scarburiensis (ex fonte) cum balneatione in mari præscripsit; sed proh dolor! ingruente hyeme squammæ cutis superficiem rursus occupabant; cutis iterum defœdata erat. Cum hæc erat morbi pertinacia, ad diætam lacteam confugiendum absolute necessarium duxi. Consului iterum ut Bathoniam proficisceretur & sub tutela D--C--- his uteretur aquis, balneatione & potatione: ibi per menses aliquot commorata in patriam tandem revertitur, a morbo liberata. Breves vero erant induciæ; nam post sex menses iterum caput extulit, in ludibrium vereor Medicinæ.

Matre nata est insulæ Barbadæ indigena, & annum jam agit vigesimum sextum. Menses raro, parcius, & cum dolore fluunt, fluore albo sæpius laborat; dolores vagi universum corpus, caput præcipue vexant; noctes inquietas agit; calores subiti sine aliqua prophasi invadunt, & æque subito recedunt, ne vel minimum frigus extremum sine molestia patitur. Vultus antea vegetus, nunc pallidum, nunc subflavum obtinet colorem; corpus sensim ddbilitatur; a Venere, & Baccho religiose abstinet; lacte, oleribus, & ex tritico præparatis, & similibus vescitur, nulla carne vel simplicissima utitur; exercitio equestri, favente cœlo, fruitur. Ventriculus pituita sæpe infarctus, vomitoriis exoneratur, & medicamentis concoctionem promoventibus corroboratur. Hæc est præsens rerum facies;

hæc

hæc morbi pertinacia, medicorum conatus adhuc illudens.

RESP.

POst irrita tot tamque bona auxilia jam ſuadeo, ut mane & veſperi omnia loca corporis, in quibus labes deprehenditur, perfricentur diu ſatis & quam ferre poterit fortiſſime, pannis aſperiuſculis ex lana contextis & ſupra fumum accenſi ſulphuris ita detentis ut fumo hoc penetrati adhuc ſint eo tempore quo ad frictionem adhibentur. Inter fricandum vero alii aliique pannos ſubminiſtrent, qui iterum fumo imbuti ſint, quo ea ratione halitus iſti ſulphurei penitus adigantur vi frictionis in meatus cutis; quin etiam induſia, caligæ, capitis tegmenta priusquam applicentur corpori, eodem evaporentur prius fumo. Quæ quidem dum topice uſurpantur, requiritur interim omnino perpetua medicatio, quin & prohibeatur retentio materiæ in ſanguine quæ in cutis emunctoria deponitur: id vero fit ſi triduo ante novam Lunam ac plenam, bis adeoque in menſe, purgans Hydragogum A. mane vacuo ventriculo hauriatur; eodemque die veſperi una vice hora ſexta hauriatur potiuncula B. Cæteris vero menſis diebus a purgatione liberis quotidie ter, hora ante jentaculum, prandium, & cœnam, ſorbeat ſingulis vicibus unc. 5. de decocto C. Interea corpus motu exerceat; abſtineat a ſalſis & duratis fumo, vel acri, omnium vero maxime a pinguibus, præcipue quidem a lardo.

A.

℞. *Ætiop. miner.* gr. ix.
Reſin. Jalapp. gr. iv.
Sacchar. albi gr. iij.

Scam-

Scammon. gr. v.
Stib. diaphoret. gr. xiv.
M. F. Pulvis tenuissimus.

B.

℞. *Aq. Stillat. Melissæ.* unc. ij.
Spir. vitæ Matthioli. dr. ij.
Syrup. Diacod. dr. vi.
Tinct. Succin. gutt. ix.

C.

℞. *Rad. rec. Bardani* unc. iv.
Graminis unc. iij.
Eryngii unc. ij.
Lapath. acut. drach. ij.
Recentiss. Scabiosæ. m. j.
cum aqua fontana S. A. F. decoctum cujus lb. iv. usui exhibe.



V.

NObilis quædam Domina accepit contusionem in labro dextro Vulvæ, cui superveniens tumor inflammatorius, qui suppuratus pertususque magnam puris fœtidi copiam effudit: ob vero nimis angustam aperturam ulcus fistulosum evasit; quare Chirurgus ad causticum recurrens totam fere partem consumsit, denique sanavit. Interea autem Domina prægnans evasit, debitoque tempore puerpera facta est; statim autem a partu labrum sinistrum afficitur tumore adeo dolente & molesto, ut coacta fuerit decumbere supina crure dextro ad clunem replicato per tres dies integros, fomentis tandem cessit tumor quem rudi obstetricis manui adhuc acceptum refert nobilis Domina. Statim etiam post partum femur dolere cæpit,

quasi

quasi minimis aculeis in plurimis punctis pungeretur. Dolor tamen depulsus est linimento ex unguento Altheæ & oleo Succini, & crus laborare cæpit stupore quandoque & sensu caloris & aliquando sensu frigoris, qualis ex immersione in aqua frigida oriri solet, in femore etiam debilitas quædam remansit. His omnibus se adjunxit fluxus admodum copiosus liquoris putridi ex utero, qui post usum asæ fœtidæ per septem septimanas tandem disparuit, cum cæteris omnibus molestiis, excepta cruris ægritudine jam memorata.

Denuo etiam concepit gemellos peperitque ut antea. Hoc vero notandum quod dum eos gesserit in utero totam eorum molem perceperit in dextra abdominis parte, unde eo loci major elevatio & sensus molesti augmentum in femore & crure dextris sequuta sunt.

Tertia vice gravida facta est & feliciter infantem demisit; sex vero a partu septimanis eam corripuit copiosus fluxus ex utero materiei albæ, cum summo urinæ ardore, quæ non prius desiverunt quam iterum conceperit; non tamen diu fœtum retinuit; nam tertio graviditatis mense abortum passa est, quem secutus est Lochiorum pallidorum aquosorumque incredibilis fluxus cui tandem supervenit fluxus liquoris albi, crassi, modo blandi, modoque acris & fœtidi, cum excoriatione vulvæ & urinæ ardore, quibus torquebatur semper tempore intra mensium eruptionem intercalari. Mensibus vero erumpentibus disparent fluxus, urinæque ardor & sensus gravitatis in lumbo, femore & crure dextris. Mensibus vero desinentibus semper incipit iterum continuo depluere ex utero humor albidus subinde flavescens, serosus, pituitosus plus minus & mucosus: In initio semper inodorus est & mitis; paulatim vero

vero induit colorem fuscum, acrescit, excoriatque. Adsunt etiam quandoque lassitudo spontanea, lumbago gravativa & sensus stuporis præcipue in latere dextro, scilicet a regione hepatis ad talum usque in crure & femore dextris, color multo flavior quandoque & venæ multo tumidiores apparent quam in sinistris. Ab his vero levamen sentit dum humor ex utero copiose fluit vel urina redditur turbida instar jumentorum, & penitus ab iis liberatur, dum erumpunt menses; illis vero desinentibus omnia paulatim revertuntur.

Denique nobilis Domina jam emaciata, carne gaudens flaccida, mœstitia & appetitu prostrato laborans, sudore frigido, spirituum depressione & horripilatione quadam vexata, quotidie in pejore versatur statu, non obstantibus omnibus medicamentis, quibus medicorum consilio usa est a mense augusto elapsi anni, quo tempore agmen symptomatum jam memoratorum eam aggredi cœpit.

Enixe rogatur Cl. Boerhaavius, velit suam ad nos transmittere sententiam de morbo jam descripto, & indicare modum quo servari possit Nobilis Domina, Patriæ, Pauperibus, & vicinis cara & utilis.

P. S. Notari meretur quod latus sinistrum nobilis ægræ nullo afficiatur incommodo aut molestia, totus in latere dextro lateat mali fomes, ubi aliquando sentit ardorem quemdam circa renem & aliquando percipit aliquid instar globi movens ab ima abdominis parte ad hepar usque. Menstrua sub iisdem conditionibus quibus dum sana esset adhuc fluere pergunt & ab omnibus recensitis malis levamen offerre observantur.

RE-

RESP.

INtricati morbi tetra ſymptomata videntur docere quod jam in uteri parte dextra hæreat ulceroſa malignitas ſcirrhoides, quæ ſaniem perpetuo gignit, ſtillat, utero poſt menſtrua clauſo accumulat, multa mala parat; laxata matrice per menſtrua pro tempore levat. Metuendum ne hinc virulentia tandem carcinomatoſa acerbeſcat, ni forte citior ex conſumptione humorum putrida mors.

Quum vero malum jam inveteratum, alte radicatum, ſapientibus auxiliis majus, jam proſtraverit vires & tabe quaſi perederit: haud video multum ſpei a me abſente & peregrino medico expectari poſſe. Ut tamen paream votis hæc ego potiſſimum ſuaderem. 1. Mane hora ſexta poſt ſomnum in lecto propinetur hauſtus ex unc. iij. Spadan. de Fonte Pouhon. permiſtis cum unciis totidem lactis vaccini recenter mulcti. Idem repetatur hora octava, decima & duodecima. Surgat nona. Vehatur curru leniter per apricum aerem uſque in 12.

2. Hora prima prandeat ex fructibus horræis bene maturis cum pane; ex oleraceis omni modo paratis; ex farinoſis quibuſcumque, ex aſſa recenti; ex piſce fluviatili imprimis aſſo. Bibat vini Rhenani modicum.

3. Poſt meridiem vehatur curru in aëre ruſticano. Hora vero veſpertina ſexta bibat ut mane, idque hora octava repetat. Nona, levi cœna reficiatur ex iisdem quæ modo dicta.

4. Hanc ego methodum colendam ſuadeo hoc æſtivo tempore & ſex ſeptimanis continuandam ſedulo, cum abſtinentia ab omni omnino medicamine alio, ut mitificentur humores, liberentur ab

omni

omni acri & putri commistis, locus affectus molliatur, detergeatus, consolidetur, interim nutritio viriumque refocillatio procuretur.

5. Quo felicius hæc omnia procedant, opus erit ut quotidie mane priusquam surgat totum abdomen circa locum affectum præcipue pannis asperiusculis, callidis, siccis, bene dimidiatæ horæ spatio, perfricetur. Idem etiam vesperi in lecto ante somnum ita repetatur. Hæc meditatus prudentioribus submitto.

Leydæ 17 $\frac{22}{6}$ 34.



VI.

JUvenis robustus viginti annorum, per anni fere spatium, querebatur de vertigine, de dolore capitis & anxietate circa præcordia; incertis periodis redibant & per tria vel quatuor fere minuta durabant. Hoc spatio bis concidit in Epilepsiæ paroxysmum, quorum primus mense Februario præcedentis anni corripuit; secundus mense Januarii præsentis; nec in ultimo paroxysmo sensus penitus delebantur, sed pronus concidit manus capiti admovens, cum tremore unius brachii (dextri scil.) & capitis agitatione: & rogatus, de dolore capitis & anxietate circum præcordia conquerebatur, hæc loca commonstrans manibus, nec omnino cessarunt hæc symptomata, nisi post largam sanguinis missionem.

Incidit inter hæc duo paroxysmata, quod Juvenis sodalis, qui ægroto pie administrabat, inter ejus brachia delirans obiit: ex quo in maniam prorsus incidit: brevi tamen inde & perfecte sanatus est a Do. C. Voluere tamen parentes ut hæc quoque dicerem.

RESP.

RESP.

DOlui dum caſum evolvi: cenſetur quippe Epilepſia vera. In ea vero pejus nihil mihi quidem apparet, quam longitudo temporis, quæ intervalla acceſſionum prorogat: Semper enim eo difficilior ſanatio obtinetur quo plus diſtant inſultus, neque facile cognoſcitur quid curando proficitur, dum ſemel modo in decurſu anni geminatur ictus.

Conſultiſſimum cenſeo, ut ſemel in menſe, triduo ſcilicet ſemper ante plenilunium, Nobilis Æger mane hora quinta capiat purgans A. miſtum in aqua pura pluviali, ea die ſe domi contineat, prandeat parum, neque acida nulla ante quintam veſpertinam aſſumat.

Cæteris diebus, quotidie utatur mane jejunus, trihorio ante jentaculum, duabus unciis aquæ, in qua recens Ruta infuſa inſtar potus *The*. Veſperi hora quinta ſumat iterum unam unciam ejusdem.

Pedes & crura foveat balneo calido aquæ dulcis ſexies in menſe, veſperi ante cœnam, tribus diebus ſucceſſivis ante plenam lunam, & ante novilunia. Id poſtquam factum erit tum eædem partes fricentur fortiter ſatis pannis aſperis, calidis, ſiccis, ut optime perſpirent atque arceant a capite deorſum humores.

Atque ea quidem dum fiant opus erit ſimul exercitatione corporis perpetua, & quidem valida ſatis, ut cerebrum & nervi firmentur, ſpirituſque animales ſerventur agiles. Sic omnia bona ſperare licet. Votis aſpiret Numen.

A.

℞. *Cinnabar. Nativ. Hungar.* gr. x.
Lapid. Hæmatit. gr. vj.
Reſin. Jalapp. gr. iv.

Rad. Rhei elect. pulv. gr. vij.
Scammon. gr. viij.
Stib. Diaphoret. gr. vij.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus, diu terend. in mortario vitreo, vitreo piſtillo.



VII.

CUM de morboſo ſtatu hujus Do. ſcribere decretum ſit, de ipſius vitæ præteritæ ratione & modo, pauca præfari neceſſarium erit & utile. Generoſus hic, patris nempe generoſi, podagra & ſcorbuto multum vexati hæres, a juventute prima ſcorbuto fero affligebatur, qui totam corporis, præſertim faciei, ſuperficiem occupabat, maculis & eruptionibus fœdis nunc manifeſtis, nunc vaneſcentibus, prout æger majore aut minore fruebatur valetudine.

Ætatis ſuæ anno decimo-nono patriam linquens in Hollandiam appulit, Lugdunum Batavorum petens, ubi diarrhœa correptus erat, quæ conſilio veſtro ſapientiſſimo cito curata fuit.

A Lugduno ad exercitum fœderatum tunc in Flandriæ Comitatu contra Francos bellum gerentem migravit, & in cohortibus peditum Scoticis Ordinum Hollandiæ ſtipendiariis ſe annumerari curavit, militari deinceps vitæ generi ſe totum devovens, labores, vigilias, itinera, inediam, cubationem in vallis humidis cum infimis militibus alacriter ferens, caſeum etiam Batavis familiarem, Comminum dictum, obſonii loco multum comedens, inde appetitum adeo proſtratum habuit, ut eundem adhuc reſtauratum remedio quovis dicere nequit.

Anno 1709. ætatis ſuæ vigeſimo quinto in Patriam rediit, ubi brevi poſthac delegationem ad ſur-

ta & latrocinia in borealibus locis ſupprimenda à Principe ſuo obtinuit; quo officio exſequendo per montes nive ſæpe tectos itinera longa facere, & in iiſdem per noctes integras ſub nudo cœlo nullis ſtragulis niſi velamine uno, montium incolis proprio, coopertus ſæpius dormire atque ad frigus arcendum aquæ vitæ cyathos plures haurire ſolebat.

Dum vitam multorum annorum modo prædicto peragebat; ſcorbutus exinde magis inveteratus fiebat; Podagra etiam a decennio, periodice primum per quinque annos tempore æſtivo, aut autumno, redeunte, & pedem ſiniſtrum ſemper occupante, corripiebatur; adveniente autem diarrhœa gravi (de qua mox ſcribendum) dolores podagrici in pede nunquam fixi ſed per totum corpus, nunc ventriculum, mox inteſtina, hypochondrium denique ſiniſtrum affligentes, vagi & incerti erant, & quo magis hi deorſum tendebant, eo plus ſemper levaminis habebat æger.

Ad ſcorbuti & podagræ ſymptomata mitiganda lac caprinum, ut mos eſt in his regionibus, bibere amicorum conſilio ſuaſus erat, anno præterito jam quinto, quod ut optimum recentiſſimumque haberet ad vicum inter montes (ubi paſcunt capræ) à domo propria milliaria aliquot remotum ſe contulit; interea temporis in animum venit vicinum viſere, cum quo pocula quædam Ceneviſiæ fortis inter confabulandum epotavit: nocte vero ſequente diarrhœa gravi correptus fuit, in hunc uſque diem perpetua, ſequentibus querelis & ſymptomatibus ærumnoſis plerumque comitata: Adſunt nempe ventriculi abdominis vellicationes crebræ & moleſtæ, ejusdemque viſceris nec non totius hypochondrii ſiniſtri tenſio manu premente doloroſa. Flatus, ructus, ventris infimi tormina, dejectiones frequentes,

appetitus proſtratio, nauſea, capitis dolor & vertigo: atque hæc omnia atrociora aut mitiora prout diarrhœa crebrior aut rarior eſt. Corpus denique antea ſanguineum & ſucculentum, nunc macilentum, gracile & aridum videtur.

A carnibus quibuſvis, alitum exceptis, jamdudum abſtinet æger, diæta ut plurimum lactea veſcitur, poculum unum aut alterum vini albi Hiſpanici, aut Gallici rubri, poſt ſingulos paſtus bibit, cereviſiam autem vix unquam delibat.

Emetica omnia nuperis annis deorſum petunt, & parum levaminis adferunt. Radix autem Rhei nobis ab oriente allati plus attulit commodi quam omne aliud medicamentum adhuc expertum, diarrhœæ vero amoliendæ par nondum inventum remedium: conſilium ergo obnixe petitur.

R E S P.

MOrbus hic ortus a tam variis cauſis, multiplices partes obſidens & diverſa adeo producens effecta, admodum ſane complicatus videtur, inveteratus pariter neque temere extirpandus.

Utique materies acris podagræ, frigore repercuſſa violento & diuturno, viam cum acri ſcorbuto ſibi fecit ad inteſtinorum cava, ubi labefactatis vaſis elabitur, ſicque pertinacem alvi fluxum ciet & ſuſtinet.

Prudentia opus in curatione mali, ne confeſtim averſa hæc excretio pejora alibi mala producat, quare dum ſiſtitur cogitandum de evacuatione per cutim ſubſtituenda.

Igitur ſuadeo ſequentia accurate quidem obſervanda.

1. Omni mane corpus exponatur vapori aquæ dul-

dulcis infusæ in vas amplum adeo fervidæ ut multum exhalet: Corpus nudum teneatur supra halitum ita, ut pallio tegatur talari & linteo cera obducto: quo ita aquosus vapor pallio coercitus determinetur ad superficiem cutis. Calor vaporis sustinetur affusu novæ aquæ fervidæ subinde facto. Id ubi sic factum per horæ quadrantem in cubiculo calido, tum siccetur calidis aridis pannis corpus atque siccatum perfricetur bene, mox calidas bene siccas vestes induat.

2. Utatur exercitatione equitationis crebra diuturna, ante prandium, ante cœnam, quantum ejus ferri poterit; sed vacuo semper ventriculo. In eo sane auxilio summa spes est curandæ debilitatis intestinorum.

3. Cibus esto ex pane biscocto aut leniter tosto; ex oriza diu cocta, in pastam sicciorem; hordeum etiam mundatum, lente coctum conducet; licebit & uti lacte diu ebulliente cum oriza; neque nocebit alba caro assa recens, aut piscis fluviatilis tostus. Potus parcior & generosior esto optimus, Mumma Brunsuicena; siti leniendæ hydrogala sufficiat.

4. Deglutiat omni trihorio diei duas pilulas A. cum uncia de potu B.

5. Vesperi cubet ante nonam, dormiat ad sextam matutinam: Aera vitet pluviosum, siccum captet.

Horum ope post sex hebdomadas meliora spero & opto.

A.

℞. *Bulbi Ari recentis* drach. j. ſs.
Benzoin. gr. xv.
Croci gr. xij.
Mastich. drach. j. ſs.
Olibani drach. j. ſs.
Ol. Stillat. Cinnamom. gutt. viij.

Rhei drach. j.
Succi Catechu drach. ij. ſs.
Terebinth. gr. xv.
M. S. A. F. Pilulæ gr. iij. ſing.

B.

℞. *Aq. Stillat. Menth.* lb. j.
Sp. Menthæ unc. j.
Tinct. Succin. drach. j.
M.



VIII.

JUvenis quidam viginti-trium annorum, Mercator vitæ ſobriæ, nec vino, nec ulli alii vitio deditus; menſe Martio anni proxime elapſi ſubito & inopinato in hæmoptoen nulla præcedente cauſa externa incidit, & per tres dies ſucceſſivos ſanguinem purum rubicundum pleno ore cum levi tuſſicula exſcreavit; rediitque ſingulis diebus quater de die exſputionis ſanguinis paroxyſmus, dein per duos dies ſanguinis minuebatur quantitas, quæ pituita vel phlegmate mixta exſpuebatur, tandemque penitus evanuit ſanguinolenta ſputatio, remanente tuſſi arida, ſed ſibi aliiſque melius ſe habere videbatur. Viguit appetitus ejus, ſolitoque more cibos captavit non de indigeſtione conquerens; progreſſu tamen temporis macilentior evaſit, quod non facile a Parentibus & amicis obſervari potuit, quia erat ſemper habitu corporis macilento, potius quam obeſo, ad munera tamen ſua præſtanda ſatis robuſto; ineunte æſtate diæta lactea ex lacte caprino, ejuſque ſero, per aliquot tempus uſus eſt, ſed abſque ulla in melius mutatione, atque in hoc ſtatu ad menſem uſque Octobrem permanſit, quando in tuſſem humi-

humidam magis quam aridam incidit, quam a suscepto frigore (morbo tunc temporis epidemico) originem ducere & ipse & alii autumabant, sed citra expectationem ad hoc usque tempus permanet tussis crebrior & violentior cum phlegmatis viscidi colorisque viridis expectoratione; & circa diem decimum hujus mensis Januarii profusissimis sudoribus nocturnis cum virium dispendio & appetitus prostratione fuit deprehensus.

Per totum hujus morbi decursum de nullo pectoris vel lateris dolore conquestus est. Exoneratio alvi est ut in statu sano & urina est pallida.

Hic est casus egregii hujus juvenis, hæcque mali symptomata prout ipse ejusque amici mihi retulerunt, a quibus, Vir Celeber, consilium vestrum quoad curam enixe efflagitatur, præcipue a, Vir Celeber, vestro servo Devotissimo &c.

26. Jan. 1738.

R E S P.

OMnibus examinatis, credo ægrotantem laborare vera tabe ex pulmone suppurato post exscreationem cruoris; videturque jam eo quidem usque invaluisse malum ut projectio virium, sudor nocturnus, corporis consumptio statum pessimum indicent. Gravatur metus præsentis & secuturi deinde mali eo magis, quo sane meliora jam remedia caruerunt successu sperato, dum accrescit pernicies adversus optima consilia.

Optimum fore putem si posset quotidie, vacuo ventriculo, equitare multum, quotidie cursum augendo magis magisque. Si mane & vesperi corpus diu & fortiter perfricaretur pannis calidis & siccis: si vesperi hora octava somnum capesseret in clara

parte ædium in lecto bene ſicco; hinc mane ſurgeret matutinus: potus quotidianus ex mulſa recenti cum æqua copia lactis; cibus ex cerealibus omni modo paratis, & oleribus leniſſimis, lacte, cancris fluviatilibus, oſtreis, & pauca ſubinde carne alba. Cibus autem parca copia ſimul, ſed repetita ſæpius interdiu, dari debet.

Deglutiat vero omni trihorio diei tres Pilulas A. Statimque ſorbeat poſt has unc. iij. de liquore B. veſperi autem priuſquam cubat, hauriat una vice hauſtulum C.

Omnia hæc fieri poſſunt ſpatio bimeſtri ut fiat periculum. Eventus fœlix ſit! Opto.

A.

℞. *Gumm. Ammon.* drac. ſs.
Balſam. Peruv. gut. xv.
Maſtich.
Olibani.
Opopanac. ana drach. ſs.
Succi Glycyrrh. inſpiſſat. drach. iij.
Terebinthinæ drach. ſs.
M. F. Pilulæ. gr. iij.

B.

℞. Recent. *Agrimon.*
Betonic.
Fœnic.
Hyſſopi
Meliſſæ
Veronic.
Virg. aur. ana Man. $\frac{1}{4}$
Minutim ſciſſa infunde S. A. inſtar potus *The*, ut ſint unc. XVI. recentes.

C.

℞. *Balſam. Peruv.* gut. iij.
Ol. Amygdal. dulc. drach. iij.

Syrup.

Syrup. Diacod. drach. v.
Vitelli ovi gr. xv.
M. F. Haustulus.

IX.

GEnerosa quædam Fœmina annos quadraginta quinque nata, habitus tenuioris, in artubus imbecillitatem per biennium persentit: valetudine firmiore ante hoc nemo usus fuerat, nisi quod vires a frequenti imprægnatione fuerint imminutæ: quippe quæ quindecim partus edidit & tres passa est abortus. Imbecillitas in sinistro latere semper deterior, jam vero in utrisque brachiis manibusque tumor perpetuus, qualem in ætate provectioribus passim licet observare. Accidit interdum in brachiis & humeris doloris seu potius imbecillitatis sensus. Nulla unquam de capite, pectore aut appetitu querela. Pulsus ad normam, viresque bene compositæ; somnus arctus satis & diuturnus. Spiritus imbecilliores. Ægrota non lento passu stabilique, sed titubante ac fere præcipiti incedit. Nibil aliud est memoratu dignum quod te scire oportet; a prædictis enim sat omnibus, sat tibi præcipue constabit, Vir Clariss. qualis hujus morbi natura sit, ad quam normam dirigi debeat medentis consilium. Cum id vero minus feliciter cesserit, ad te confugimus, tuam sociam operam desideramus. Aquas Bathonienses tepidas quæ sulphuro-chalybeatæ sunt per sex septimanas bibit. *Castor. Ass. fœtid. Rad. Valerian. Sylvestr. Tinct. Mart.* cum Aqua Spadana diu omnia & frustra fuerunt adhibita. Menses quinta quaque hebdomada ita copiose redeunt ut ad medicamenta restringentia necesse sit aliquando confugere.

RESP.

RESP.

Corpora toties per graviditatem repleta & distenta, toties exinanita per partus & abortus, vasa debilia, laxa & mobilia accipiunt tandem; & quidem varicosæ, maxime in utero, quin & humores mire mirabiles per eamdem rerum vicissitudinem; imbecillis hinc Σωματίζε© nervosæ nimis variabilis commutatio, tremores, motus spontaneos, nec regendos arbitrio, cum profusioris sanguinis uterini expulsu gignit. Inde & cætera quæ observata attentius perlegi, mala. Pertinacis morbi alte actas radices vel inde cerno, quod sapienti consilio & optimis remediis usa Domina nec dum liberata sit: Unde mihi peregrino, nec aliunde instructiori medico major rectiora præscribendi difficultas; similia actis persuadeo; dat sæpe dies quod hora negat. Crediderim potissimum juvandi spem in eo, ut levi adstrictu corpus, per fascias caligasque adductas firmetur, vasa leniter premantur, & humores pressu prudenter densentur, enimvero id remedium præstat incredibile, nec aliis facile impetrandum auxiliis, ea tamen lege, ut lente & per gradus sensim auctos quid exhibeat. Proderit quoque quam maxime si mane ac vesperi spinæ dorsi decursus, & abdominis mollia, diu & quantum ferre commode poterit, satis fortiter perfricentur Pannis asperis, calidis, siccis, neque enim melius aut magis exploratum remedium scio adversus tremores hujusmodi causa tali ortos. Victus etiam siccus ex assa & pane biscocto cum condimentis acrioribus ex sinapi raphano rusticano & nuce myristica commendatur cum potu parvo; pulchre his addatur Mumma Brunsuicensis, præcipue vespere ante somnum. Medi-

dicamenta hæc conducunt quæ firmant quidem, neque tamen nimia acrimonia ruditer exagitant humores. Sufficere videntur catapotia A. ter interdiu, hora ante jentaculum, prandium, & cœnam deglutita tria simul, semper superbibendo Unc. I. Vini Medicati B. Hæc continuanda spatio 6. hebdomadum, promittunt enim plurimum boni. Leydæ. 17 5/3 35.

A.

℞. *Catechu puriss.* drach. ij.
Lapid. Hæmatit. drach. ss.
Mastich. drach. j.
Oliban.
Sarcocoll. ana drach. j. ss.
Rad. Rhei pulv. drach. j.
Terebinth. gr. iij.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Cortic. Capparid.*
Cinnam.
Tamarisc. anna unc. ij.
Ligni Santali citrin. drach. vj.
Limaturæ Mart. rec. non rubigin. drac. xij.
Nucis Myristicæ drach. ij.
Rad. Bistort.
Tormentillæ unc. iij.
M. f. omnium pulvis, unde fiat S. A. Vin. Medicat. cum Vino Rhenano.



X.

SAlutem si ab ullo, a te certe sperare licet: ægro hæc facies morbi. A pedibus extremis ad cardiam usque circumquaque sensus fere omnis nisi frigoris abolitus præcipue ad Tibias medias & spinam dor-

dorſalem; Thoracem etiam & collum, ſtupor idem nunc tandem invaſit. Conſtrictio ei perpetua inſtar funis regionem occupat inter umbilicum & cardiam utrinque quatuor pollices latam coſtas arctans; ſæpe etiam ſurgens nauſeam & vomitum minatur. Duodecim elapſi ſunt anni cum plantam ſiniſtram primum occupabant formicatio, pruritus, ardor; mane ſequenti crus totum & plantam dextram; & intra quatuordecim dies ſenſus omnis fuit deletus, nec ambulatione, frictione, ſudore educendus; paulatim dein ſtupor aſcendit & poſt V. S. totum occupabat abdomen. Thermis deinde uſus Bathonienſibus multum inde boni reportavit. Inter lavandum ſæpe redibat perfectus ad genua usque cito evaneſcens. Sequentibus annis ſæpe fruſtra Thermas repetebat. Eodem ſucceſſu Ψυχρολουσία & ambulatione poſtea ad ſudorem usque fuit uſus. Ex præſcripto Empirici cum fuit uſus medicina quadam purgante omni nono die, & quotidie ſudorifera, intra momentum temporis per omnes artus profluebat vitalis calor & ſenſus in totum abiit niſi ad plagam abdominis parvam: nimis cito! V. S. bis in anno; unguenta varia ad ſpinam fruſtra tentavit. Equitatio tantum nimis forſan neglecta, ſemper aliquid commodi attulit: proſunt etiam fluor alvi naturalis, cælùmque fervidius. Novem præteriti ſunt anni quum oppreſſio ad cardiam primo invaſit, quotannis dein gravior; eodem anno moleſtus ille frigoris ſenſus ſpinam occupabat. Homo Piſtor annum agit quinquageſimum quintum: cauſam mali ipſe credit labores, ardores, ſudores ante oſtium clibani; quos ſæpe paſſus. Temperies ſanguinea, lurida; reſpiratio ex motu anheloſa; pili nigri rari; diæta moderata tenuis; mens læta; alvus tarda. Quid tibi videtur ſi placet præſcribere, mihi per-

gra-

gratum erit, qui beneficiorum tuorum nunquam non memor ero.

RESP.

DUm solicite excussi casum descriptum, in eam sane sententiam deveni, quod multum hæreat præcipue in vitio nervorum, & quidem præcipue in levi tantum horum affectu acrem modo prohibente sensum. Consultissimum fore credo, ut quotidie post somnum mane curet totum decursum spinæ dorsi a nucha ad os sacrum diu fortiterque perfricandum Pannis asperis, calidis, siccis: deinde loco perfricato superponi debet zona tres digitos lata, coriacea, obducta emplastris A. quæ noctes diesque applicata gestanda, solo frictionis tempore tamdiu deponenda, mox reponenda iterum. Corpus exercitatione acriter exercendum. Ter interdiu vacuo ventriculo 5. Pil. B. deglutiendæ cum unc. j. liq. C. Hæcque omnia hac ratione continuanda sedulo per sex habdomandas in spem sanationis, quam Deus datam velit. Leydæ $17\frac{7}{5}36$.

A.

℞. *Emplast. Melilot.*
Galban. pur. ana unc. j.
Olei Castorei unc. ß.
N. pro Emplastro.

B.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. j.
Asæ fœtid. drach. ß.
Balsam. Capayb. gr. xv.
Bulbi Ari rec. drach. j. ß.
Castorei,
Croci, ana gr. xv.
Myrrhæ, drach. ij.
Terebinth. gr. xij.
M. F. Pil. sing. gr. iij.

C.

℞. *Aq. Stillat. Lavandul.*
Rosmarin.
Rutæ.
Salviæ, ana unc. iv.
Spir. Sal. Ammon. drach. ij.
Tinct. Succini drach. j.
M.



XI.

GEnerosus quidam quinquagenarius, per totam fere vitam negotiis implicitus, cibo vinoque libere usus, exercitio assuetus agilis, cum sanus fere a juventute vixerit, paucis abhinc annis humorem scorbuticum gingivas invadentem primo sensit, ventriculi etiam inflationem a cibo, motumque Intestinorum molestum. Ventriculi & intestinorum affectus a concoctione tardiore oriri arbitrabatur. A prima symptomatum invasione Fontanellæ duæ (ad hoc usque tempus fluentes) juxta scapulas sectæ sunt, unde symptomata ex aliqua parte levabantur. Sed mensibus aliquot jam proxime elapsis, sævi hæmorrhoidum fluxus intervallis brevibus eum invaserunt; parum sanguinis effunditur; neque ingens est tumor externus: Chirurgus ab inspectione nullam inesse fistulæ suspicionem judicat. Putat patiens morbum se hunc primo contraxisse nimis sedendo durante Parliamenti conventu. Sumsit æthiopem mineralem copiose, externe etiam multa adhibita sunt, sed frustraneo omnia successu.

RESP.

RESP.

Videtur morbus conſiſtere in aggeſtu materiæ lentæ in vaſis Hypochondriacis: hæc vero ſenſim acrior facta viſcera & inteſtina infeſtat, forte & vermes generatos alit; Convenit vacuo ventriculo ter interdiu, hora ante jentaculum, prandium, & cœnam, deglutire tres pilulas A. & ſtatim poſt has ſuperbibere unc. j. de liquore B. Interim corpus cibis vacuum exercere quam maxime; potiſſimum tempore illo quo medicamenta capta ſunt horis modo dictis; Equitatio præcipue. Proderit ter in die corpus alere, potius minorem copiam ſumendo ſingulis vicibus, quam una vice largiore copia onerare ſimul. Mane autem a ſommo, ſpatia mollia abdominis bene perfricanda ſunt pannis ex *Flannel* diu & fortiter; quantum ferre commode poterit. Quin & juvabit mature cubitum ire, matutino ſurgere; negotia vero ante meridianum tempus præcipue abſolvere; atque hæc ſpatio bimeſtri continuata ſpem faciunt valetudinis integrandæ, quod Deus velit! ſic cenſui. Leydæ. $17\frac{16}{7}36$.

A.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. ſs.
Alæ fœtid. drach. j.
Balſam. Meccani gutt. x.
Bulbi ari rec. drach. j.
Croci gr. x.
Curcumæ drach. ſs.
Galbani,
Rhei, ana drach. j.
M. F. Pil. gr. iij.

B,

B.

℞. *Aq. Stillat. Cochlear.*
Majoran.
Melissæ,
Pulegij
Rosmarin.
Rutæ,
Salviæ ana unc. j.
Spir. Lævendul.
Rosmarin. ana unc. ss.
Tinct. Succini drach. ij.
M.



XII.

VIR CELEBERRIME

GEnerosus quidam provectioris ætatis, a duobus hinc retro annis Calculo, uti suspicatur, laborat: inter meiendum enim materiam sabulosam rubicundi coloris cum urina emittit: novissime vero acutissimos passus est dolores, dum urinam redderet, mireque torquetur dum curru supra pavimentum vehitur, statim enim postea mictu cruciatur sanguineo; ita ut vereatur ne Calculus in vesica concretus sit. Ad te, ergo, in hoc statu, tanquam ad Apollinem, confugit, tuum implorans consilium, enixeque petens ut regimen aptum præscribere digneris; an putes medicamentum ullum dari Lithontripticum quod solamen aliquod adferre posset. An usus Spadanarum proficuus foret? &, si sic judices, an non hic epotæ, pariter ac ad ipsum fontem, salutiferæ evaderent?

Consilio cujusdam hic medici Electuario utitur sequenti. ℞.

℞. *Pulp. Cassiæ recent. extract.* unc. j. ss.
Rhei opt. pulveriz. drach. j.
Terebinth. e Chio probe lot. dr. VIII.
Spec. Diatragacant. frigid. scrup. j.
Pulver. Glycyrrhiz. dr. ss.
cum S. Q. Syrup. de *Althæa* F. Electuar.

Sumat æger mane jejunus quantitatem nucis juglandis statim superbibendo lib. j. Liquoris Posfetici cum Cerevisia facti ; post horam vero elapsam ebibat iterum liquoris Possetici cum Vino albo parati Nuce Moschata aromatizati, & saccharo edulcorati lib. j. Caute frigus cavendo, sicque alternis diebus per tres vices pergendo, sex scil. diebus ante Novi & Pleni-Lunium.

Quid de hoc medicamine censes, aut de dolore quem æger nuperrime in collo vesicæ persentit, qui urinam reddere sæpius cogit ; an a Calculo majori vel minori partem irritante procedat, dicere ne recuses.

RESP.

MOrbum calculosum mictu sanguineo stipatum attentius consideravi ; unde censeo :

I. Calculum parvum, acutum vero, renibus impactum, cujus attritu, dum Nobilis æger curru supra pravimentum violento vehebatur motu, soluta sunt vasa sanguinea.

II. Mictio dolorifica vesicæ calculum non semper denotat, quamvis sæpius accidat majorem ibi dolorem persentiri, licet causa in renibus tantummodo hæreat.

III. Quod si res ita sit, tutius nullum novi medicamentum sero lactis recenti in quo *Chærophylli* tantillum decoctum fuerit, addito *mellis puri* momento. Hoc utatur æger pro potu quotidiano ; nec

D ace-

acescat tamen, bis de die recens parandum suadeo. Interim usum moderatum Vini Canarini inter prandendum & cœnandum Ventriculo multum profore puto.

IV. Victus interim optimus e vegetabilibus depromatur herbis scil. Culinaceis, fructibus horæis maturis & farinosis omnibus.

V. Corporis exercitatio moderata quo frequentior eo melior: Violenta vero evitanda ne mictum iterum producat sanguineum.

VI. Omni trihorio diei devoretur scrup. j. Massæ A. statim supersorbendo unc. ij. calidas Decocti B. Sicque pergat quotidie a summo mane usque dum lectum petat, per sex septimanas. Inde spes summa salutis: quod faxint Superi!

Quod ad spadanas refert, harum mihi videtur usus admodum dubius: earum enim vis impellens adeo efficax est, ut calculum, modo exiguus fuerit, feliciter sæpius extrudant: Majorem vero e renibus deturbando, uteribus impactum relinquunt, unde urinæ denegatur exitus: hacce methodo plurimi incauti quamplurimos ad orcum demiserunt: Quare hanc semper rejiciendam puto, nisi prius dignoscere valeam, an calculus adeo parvus sit ut per vias urinarias transire queat, necne; quod sane semper discernere non ita facile videtur.

Boni multum sperandum, sinistri nihil a methodo a me laudata metuendum, adeoque in casu singulari huic confidenter insistat æger.

A.

℞. *Cassiæ opt. rec. fistul. extract.* drach. vi.
Mannæ lectissimæ unc. j.
Mastiches
Olibani
Rhei ana drach. j.

Succi

Succi Glycyrrhiz. inspissat. depurat. dr. vi.
Terebinth. puriss. drach. j. ss.
M. F. Massa

B.

℞. *Flor. rec. Alth.*
Rhœados ana unc. ss.
Fol. rec. Parietar.
Scabiosæ
Virg. aur. ana m. j. ss.
Rad. rec. Fœnic. unc. iij.
Glycyrrhiz. unc. j. ss.

cum aq. decoct. saptio ½ horæ adde Semin. rec. contus. *Anisi* unc. j. stent vase clauso in Digestione fere fervida sine ebullitione p. horam dein decocti lib. IV. exhibe.



XIII.

QUinto ætatis anno variolis, pessimæ indolis, correptus eram: statim vero, his debellatis, tanta oculorum debilitate cum dolore insigni humoris lachrymalis stillicidio & ophthalmia pertinaci per quinque fere annos, adeo misere cruciatus, ut his sublevandis malis nil intentatum reliquerim. Diæta tenuis, sanguinis missio, collyria varii generis, sudorifera, capillorum abrasio, balnea aquæ frigidæ, vesicatoriorum applicatio, cum innumeris aliis incassum adhibita sunt. Annum autem cum agerem decimum, absque ullius remedii auxilio, cessavere enarrata omnia symptomata per sex subsequentes annos, quum iterum sævire inceperunt, hoc tantum cum discrimine, quod per intervalla quædam sat bene omnia cedant. Quinque fere elapsi sunt anni quum recidivam passus sum: tanta autem erat

oculorum, per totum illum temporis decursum, debilitas, dolorque adeo acutus ut clausis palpebris in obscuriori domus loco sedere, per quindecim plerumque dies, coactus fuerim. Vel minima data occasione, aperiendo nimirum palpebras, hæret stagnatque sanguis in vasis omnibus per oculos irrepentibus. Superius laudata medicamina, pluraque alia de novo iterum adhibui, sed absque levamine; levi enim imo nulla præcedente causa manifesta, sæpissime recurrit, diuque perseverat malum. Cæterum sat prospera fruor valetudine, frigori licet suscipiendo obnoxius sim, ob sedentariam, forsan, quam duco vitam: malum autem hoc oculos solummodo affligit.

R E S P.

QUO acriori cura expendi historiam mali, cum quo oculi conflictantur, eo vehementius metuo ne vascula pupillæ musculos formantia affecta sint teneritudine nimis sentiente, quæ contractionem ad actionem lucis irradiantis natam necessario tolerare nequit. Non miror igitur tot remedia, variasque methodos tam parum profecisse, quum vix possibile sit eo aliquid boni adferre ad hanc causam tollendam.

Re perpensa, hæc suadeo.

I. Omni mane & vesperi semihoræ spatio detineantur pedes & crura in balneo tepido aquæ simplicis.

II. Dein fricentur pannis asperis, calidis, siccis, satis diu & fortiter.

III. Applicentur cucurbitæ duæ cervici tertio quoque die, vesperi dum partes in balneo, spatio semihoræ sine scarificatione, dein his ablatis fiat lenis frictio cervicis.

IV. Per-

IV. Perſpicilla plana de vitro profunde viridi confecta, debent ſemper præponi oculis, quoties lux & colores iis offeruntur, more Hiſpanico; id ſummum in meo conſilio eſt.

V. Oculi ſæpe fovendi aqua tepidula; dein paulo minus tepida, dein frigida, ut ita ſenſim frigori, ſed valde lente aſſueſcant, omni ſeptimana, modo parum frigidiorem adhibendo.

VI. Mane, vacuo ventriculo, bibendæ unciæ duæ liquoris A. calidæ, idemque repetendum veſperi hora ſexta, idque omni trimeſtri ſpatio continuandum eſſe cenſeo in ſpem levaminis.

℞ *Flor. Cyan. Seget.*
Sambuci ana pug. ſs.
Rad. rec. Fœnic. unc. ſs.
Semin. contuſ. Aniſi drach. ij.

Minutiſſime ſciſſa infunde, vaſe clauſo cum aq. pluviatili tota nocte, mane ebulliant uno momento, ut ſint liquoris puri ſic parati unc. IV. quibus dein admiſce *Rob Sambuc.* drach. vj. pro uſu quotidiano.

XIV.

INitio Junii 1724. in febrem incidi violentam vomitu & diarrhœa ſtipatam, quæ poſtea in intermittentem tranſiens, domi me retinuit per quatuor menſes. Accerſitus Medicus in principio morbi Emeticum, Sanguinis Miſſionem, & Purgans e Rhabarbaro præſcripſit: magnam dein Corticis Peruviani in ſubſtantia devoravi quantitatem, adjunctis decoctis amaris, & quum cælum & vires permittebant, domo exibam. Lente admodum convalui & per duodecim fere menſes debilis omnino frigorique ſuſcipiendo obnoxius remanſi. Balneis aquæ ſalſæ

frigidæ corpus primum frigori ferendo aſſuevit; ita ut perfecta per quatuor annos gaudebam valetudine, ad menſem ſcil. Aprilis anni 1728. cum iterum eodem, ſed non ita ſæviter, correptus fui morbo. Iisdem iterum ac antea uſus ſum medicamentis, poſt ſex hebdomadas elapſas, pedetentim convalui, ſicque perſeveravi ad menſem Decembris, quum denuo per Menſem eodem laboravi morbo. Prius facta repetendo ſanitatem recuperavi ineunte vere, atque ita perſeveravi ad menſem Junii anni 1729. Quum iterum rediit idem morbus per menſem affligens, Tinctura vero Corticis & Decoctis amaris fugatus, ad menſem uſque ſubſequentis Septembris latuit, cum de novo per breve tantum temporis ſpatium apparuit ſtatimque evaneſcens inducias per biennium tulit, ad menſem ſcil. Novembris 1731. tumque ut antea in capite & ventriculo incepit. Ipecacuanha aſſumpta levamen attulit, paucis tamen diebus elapſis ſævius invaſit; Emeticis autem quater repetitis, Tincturæ Corticis, ejuſdem pulveri, vinis amaris, atque equitationi cedens malum ſat bene valui ad finem fere menſis Martii anni 1734. quum recrudeſcens a diarrhœa exordium duxit, quæ quamvis lenis ſit, mire tamen animum dejicit: ad dolorem vero capitis tollendum, & appetitum proſtratum ſublevandum, vomitorium ex Ipecacuanha bis repetitum & corticem, in ſubſtantia, aſſumpſi, atque ita ſenſim convalui. Eundem denique morbum aggredientem eadem methodo debellavi.

Medici noſtrates morbum hunc vocant febrem intermittentem nervoſam. Sequentia ingruentis inſultus ſigna percipio: alvus ſcilicet aſtricta, poſtea vero laxa eſt, appetitus omnino proſtratus, caput & ventriculus valde diſcruciantur, capiti vero & tem-

temporibus ita insidet malum, ut novaculam in anteriori capitis parte, aut tempora tangi vix sufferre queam; tinnitu aures, flatibus & dolore ventriculus & intestina afficiuntur: frigus, horripilatio, calor mutuo succedunt: cutis color immutatus, pruritque quasi ab urticæ urentis applicatione; somnus irrequietus, & tremendis interruptus somniis; languore, ægritudine, spirituumque dejectione totum afficitur corpus; in calore febrili urina clara & limpida est, quantitate multum superans potum, & sedimentum nullum deponens: deperit carnosus corporis habitus, exhauriuntur vires, quamvis a catarrho & sputatione immunis sim.

RESP.

MAgnam fuisse corporis dispositionem ad febrem facile crediderim; intempestiva autem corticis exhibitione motus febrilis subito impeditus Ventriculi debilitatem viscerumque obstructiones procreavit.

Malum radicitus tolli posse puto corporis commoda exercitatione, diæta, & medicamentis. Lectum itaque petas hora nona vespertina, surgas quinta matutina, pergasque attentus in peragendis negotiis ad prandium usque: postea vero exercitatio moderata, ambulatione vel equitatione, multum proderit. Balnea autem frigida, in tali casu, nullius mihi videntur usus. Victus sit e vegetabilibus facilis concoctionis, carne teneriore assata, & piscibus fluviatilibus, potus vero inter prandendum & cœnandum, vinum rubrum gallicum bonæ notæ, moderate sumptum, cerevisia autem tenuior, temperate calida, sit pro potu communi.

Sumas velim hora ante jentaculum, prandium &

cœuam quinque de catapotiis A. superbibendo cochlearium unum liquoris B. Sic præcavebitur recidiva: si tamen contra spem supervenerit, assumendus pulvis C. octo ante paroxysmum horis, hoc semel tantum faciendum; omni vero trihorio diei cochlear. 1. Liquoris D. bibendum suadeo, cujus ope post quatuordecim dies optatam sanitatem recuperabis.

A.

℞. *Myrrh. elect.* unc. iij.
Sapon. Venet. drach. jv.
Terebinth. drach. j.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Aq. stillat. Cochlear.* unc. ij.
Melissæ unc. iv.
Salviæ unc. iij.
Spir. vitæ Matthiol. unc. ss.
Tinct. Succin. drach. ij.
M.

C.

℞. *Lapid. Cancr.* drach. ss.
Rhei gr. xv.
Scammon. gr. viij.
Stib. diaphoret. gr. xxv.
F. pulvis.

D.

℞. *Aq. Stillat. Salviæ* lb. j.
Sal. Polychrest. drach. ij.
Spir. Cochlear. drach. iij.
Tinct. Contrajerv. drach. vj.
M.

XV.

XV.

INtra octo annos duodecies abortum passa sum ; vario tamen gestationis tempore ; aliquos enim peperi infantes septimestres , alios vero quinquimestres, denique quadrimestres, & demum trimestres. Consilio Medici familiaris varia devoravi medicamina , vitamque domi duxi sedentariam per quinque menses. Malum originem duxisse ab imperitia obstetricis suspicor . Medici autem consilio ad Bathonienses Fontes me contuli, sed absque successu. Ideoque alterum consului Medicum , qui Balneorum ex aqua frigida usum præscripsit. Statim ergo postquam ultimum perpessa sum abortum , Fontes adivi Tunbridgenses , ibique potu aquarum & balneo e frigida per aliquod tempus usa sum : ab iis autem reversa , prægnans evasi ; Medici tamen familiaris jussu ab omnibus abstinui pharmacis , vitam domi agens sedentariam , balneisque frigidis ut supra utens , usque in diem quum iterum abortum perpessa sum : balneis istiusmodi per sesquiannum usa sum , hisque exceptis nullum alium tentavi medicaminis usum ; ne quidem venæ sectionis, quamvis sanguinem mittere bis in quinquimestri spatio solebam .

Debilitatem quandam temperamenti accusat Medicus familiaris. Annum jam ago trigesimum secundum , & ab omnibus aliis , hoc solo morbo excepto, huc usque immunis . Consilium ergo tuum enixe rogo .

RESP.

RESP.

MIhi videntur vaſa uterina ita debilitata eſſe ut fœtum retinere non valeant. Ideoque non abs re fuerit, ſi gravida non ſis, ſumere per quinque ſucceſſive dies, hora ſexta matutina, Purgans A. & ſexta veſpertina, Cardiacum B. caute frigus cavendo: victum per id tempus e vegetabilibus, jure carnium & lacte eſto. Sexto die, hora ante jentaculum, prandium, & cœnam, ſume pilulas tres C. ſuperbibendo unciam unam vini Medicati D. In his perſeverandum toto geſtationis tempore; victus ſit ex iis quæ maxime arrident. Corporis moderata exercitatio utilis admodum & neceſſaria.

Hæc ſunt quæ ſuper his cenſeo. Felices opto & ſpero ſucceſſus.

A.

℞. *Myrabolan. Citrin. ſine nucl.* drach. ſs.
Rhei electi gr. xxxvj.
M. F. Pulvis qui infundatur tota nocte, vaſe clauſo, cum aqua. Mane teratur ſatis diu, dein preſſi per pannum liquoris unc. ij. admiſce.
Mannæ opt. drach. iij.
Syrup. Cichor. cum Rheo drach. iv.
F. Hauſtulus purgans.

B.

℞. *Aq. Stillat. cortic. Citri* unc. ij.
Spir. Vitæ Mattioli drach. j.
Tinctur. Opij gutt. x.
Succini gutt. xv.
M. F. Hauſtulus.

C.

C. ℞. *Catechu* drach. ij.
Cort. Granator. drach. j.
Mastich. drach. j. ſs.
Oliban. drach. j.
Sarcocoll. drach. j. ſs.
Rhei drach. ſs.
Succini ppti. drach. j.
Terebinth. gr. vj.
Ol. Stillat. Cinnam. gutt. viij.
M. F. S. A. Pil. ſing. gr. iij.

D.

℞. *Cor. Capparid.* unc. ij.
Cinnam. unc. j. ſs.
Tamariſc. unc. j.
Ligni Agaloch. drach. ij.
Santal. Citrin. drach. iij.
Lapid. Hæmatit. drach. j.
Limat. Martis drach. vj.
Maceris.
Nucis Moſchatæ ana drach. iij.
Rad. Lapath. acut. drach. j.
Semin. 4. calid. min. ana drach. j. ſs.
M. F. Pulvis tenuis inde S. A. F. Vinum Medicatum cum Vini Rhenani lb. vj.



XVI.

ÆGer quidam Generoſus annum agens 68. habitu corporis repleto, initio æſtatis proxime prægreſſæ, Ictero correptus fuit, variorum medicorum conſilia & præſcripta ſequutus, a ſex ſeptimanis totum curæ meæ ſe commiſit. Aperientibus, in tali caſu præſcribi ſolitis, priorum medentium juſſu, incaſſum uſus eſt.

Fa-

Faciei tum color ad nigrum vergebat, caput vero & reliquum corpus colore intense flavo persundebatur: a diarrhœa immunis, licet alvus semper laxa fuisset; in sedibus, nullum flavedinis signum, urina autem bile saturata videbatur. Appetitus denique valde prostratus.

Sanguini, meo consilio, ad unc. xij. extracto adhærebat crustula phlegmaticobiliosa tenax admodum. Vomitorium ex Ipecacuanha septimanatim assumendum suasi: purgansque e Rhabarbaro lenientibus admixto, ob nimiam viscerum laxitatem, semel atque iterum exhibui: dein autem bis in septimana *calomel.* gr. xij. hora somni, sequenti aurora, potionem e *radic. curcum. Rub. tinctor. Sal. tartar. Aq. cinam. Senn. Rheo*, *Crem. tar. Croc.* & *Syr. de rhabarb.* sumendam præscripsi, diebus intermediis electuarii e Chalibeat. Aromatic. Attenuant. Detergentib. & Stomachicis usum commendavi superbibendo infus. Chalybeat. amar. Loweri. postea Æthiop. mineral electuario addidi. Rediit appetitus, neque ab assumpto cibo qualicunque male se habet: per alvum excreta ad naturalem accedunt colorem: minuiturque urinæ biliosus color: augentur vires, & negotiis multum vacat.

Notandum insuper scorbuto a plurimis retro annis laborasse ægrum; nuperrime etiam crura versus inferiora, hydropicis uti advenit, tumere; abdomen tensum & quasi infarctum animadverti: tussi demum & materiæ viscosæ tenacis expuitione, sicut & sanguinis per sedes excretione aliquoties vexatur.

RESP.

Consideravi intenta cum cura tristis sane & periculosi morbi historiam.

Mi-

Mihi videtur cacochymia bilioſa ab obſtructis bilioſis viis, jam tendens in conſummatum hydropem. Hyberna tempeſtas, ætas provecta ægri, ipſiusque mali duratio nil boni portendunt, intendunt vero magnum ſatis & præſens periculum, præcipue cum optima quæque remedia fruſtra jam adminiſtrata, & origo ipſius ægritudinis in ſcorbuti inveterati malignitatem radicata narretur.

Summum quod habeo in hoc caſu remedium erit. Si Nob. Dnus. aſſumat omni biborio diei pilul. 5. A. ſtatimque poſt eaſdem bibat unc. j. de liquore B. Sicque periclitetur menſis decurſu num gravi malo levando par ſit hæc medicina. Interim quam maxime opus erit ut quotidie mane & veſperi totum abdomen diu & quantum ferre poteſt fortiter perfricetur pannis laneis aſperis, calidis, ſiccis, ut infarcta vaſa liberentur auxilio hujus motus ab impacta ſaburra, & aſſidua opus erit corporis exercitatione, eaque forti ſatis, ſive vectione fiat, ſeu deambulatione, ſi vires ad eam ferant. Victus porro ex recentioribus oleraceis, acetoſa, beta, braſſica rubra, cichoreo, endivia, lactuca, ſpinachia & vini meraci parciore copia, aut Mumma Brunswicena commendatur ab ipſo morbi ingenio. Utinam his ſperata obtineatur ſanitas. Leydæ 17. $\frac{28}{11}$ 33.

A.

℞. *Bulb. Ari rec.* drach. j.
Aſæ fœtid. gr. xv.
Balſam. Copayb. ſcrup. j.
Croci gr. xv.
Rhei drach. j.
Sapon. Venet. unc. ſs.
Terebinth. gr. x.
M. F. Pil. gr. iv.

B.

B.

℞. *Aq. Stillat. Baccar. Juniper.*
Cochlear. ana unc. vj.
Sal. Polychrest. drach. ij.
Tartar. Vitriolat. drach. j.
Rob. Baccar. Juniper. unc. iv.
Spir. rectificat. Baccar. Junip. unc. j. ſs.
Tincturæ Myrrhæ unc. j.
M.



XVII.

GEneroſum Scotum annos natum 23. temperamenti melancholici dolores ventriculi & hypochondriorum a plurimis annis diſcruciant: lipothymia, flatibus, alvoque aſtricta vexatur; maculæ ſcorbuticæ crura deturpant: tuſſi, licet non violenta, frequenter laborat: nullum interim puris aut ulceris ſignum apparet. Lumbricos exiles, albidos, capitibus acutis inſtructos, copioſe aliquoties per alvum egerit. *Æthiope minerali*, *Pilul. coch. min.* & *Tinctura ſacra* uſus eſt. Sanguis e vena emiſſus optimus videtur. Denique, poſtquam violento exercitio corpus incaluerit, tumor adhuc perſeverans pone aurem in conſpectum ſe dedit.

RESP.

MOrbum deſcriptum accurate conſideravi, unde cenſeo glandulas totius corporis obſtructas eſſe, teniaſque inteſtina obſidere. Vacuo itaque ventriculo, hora ſcil. ante jentaculum, prandium & cœnam, ſumat æger pilulas tres A. ſuperbibendo un-


unciam unam liquoris B. hæc ita per sex hebdomadas usurpata, salutifera fore puto.

A.

℞. *Aloes optim.* drach. ss.
Asæ fœtid. drach. j.
Camphor. gr. v.
Castor. gr. vj.
Myrrhæ drach. j.
Sagapen. drach. j. ss.
Succin. ppti drach. j.
Terebinth. gr. vj.
Vitriol. Mart. drach. j. ss.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Aq. Stillat. Cochlear.*
Rutæ ana lb. j.
Elixir. pp. cum sp. Tartar. pp. drach. iv.
Sal. volatil. Oleos. drach. iv.
Spir. Cochlear.
Tinct. succini ana drach. ij.
M.



XVIII.

PUellula Nobilis annum agens septimum, sub finem Decembris 1731. dolore & gravedine Capitis, atque Nausea correpta est: subsequentibus etiam duobus diebus febricitabat, quinto a primo insultu die magis de Capitis dolore conquesta est, magnamque materiei biliosæ quantitatem vomitu rejecit, proximo die oculorum & cutis color in flavum conversus est, & ipsius lotio imbutum linteum croceo tingebatur colore, ab assumptis Ipecacuanhæ gr. xij. copiose bilem evomuit: ad pacandum

dum autem Ventriculum ipsique quietem conciliandam sequentem postea cum euphoria assumpsit haustum.

℞. *Succ. Limon* drach. ij.
Sal. Absynth. scrup. ss.
Aq. Meliss.
Cinnamom. Hord. ana dra. vj.
Spirit. Menth. gutt. xxx.
Syr. dialth. drach. ij.
M. F. Haustus.

Huic bis repetito vomitus & febris cessere. Ad flavedinem vero cutis & oculorum fugandam, cochlear. 1. sequentis infusionis bis de die hausit;

Croc. Anglic.
Sal. Absynth. ana drach. j.
Limon. tost. No. j.
Vin. Rhenan. lb. j.
infunde per 24. hor.

Interpositis duobus diebus sumpsit hora somni *Rhabarb.* scrup. j. unde postero die bis alvum deposuit; fæces argillacei coloris videbantur. Tribus dein successive diebus iterum usa est infuso, postea autem drach. ss. *Rhabarb.* cujus ope per duas vices purgata est. Gradatim deinceps recessit flavedo, optatamque recuperavit sanitatem.

Ad finem Mensis Januarii iterum delapsa est: parum tunc bilis evomuit, pulsus erat celeris, aderant capitis dolor, oculorum gravedo, colorque sub oculis cæruleus, urina saturatior, licet vulgo pallida sit, aliquando etiam colore æmulans Caryophyllum Hortensem, sedimentum deponens subalbidum, salibus in superficie natantibus. Sequenti die sat bene se habuit, iners quamvis & desidiosa.

Primo Februarii Medici duo celebres accersiti præscripserunt *Rhei* scrupul. unum, adjunctis granis 5.

Salis

Salis Abſynthii, his in ſeptimana aſſumendum, intermediis vero diebus, *Salis Abſynth.* doſim bis de die: *Aquam* denique *Briſtolienſem*, cui identidem inſtillatæ fuerunt *Spiritus Nitri dulcis* guttæ octo. Horum uſu ſanitatem recuperaſſe viſa eſt. Undecimo Martii ſubſequentis *Succos Antiſcorbuticos* ad unc. unam bis interdiu aſſumendos commendarunt, purgato prius corpore *Rheo* & *Sale Abſynth.* Quod bene ceſſit ad vigeſimum uſque ejusdem Menſis, cum denuo ægrotare incepit: tunc alvinæ fœces multo pure & ſanguine refertæ erant, ſub oculis color ad nigrum vergens apparuit, nares frequenter ſcalpebat. Bolum ſequentem Medentium conſilio ſumpſit *Calomelan.* gr. v. *Rhei pulv.* gr. xv. *Syr. Violar.* q. ſ. f. bol. unde ſurſum & deorſum purgata convaluit: poſtea *Æthiop. Mineral.* & pulv. e *Chel. Cancr. ſimpl.* ſcrup. ſs. omni nocte exhibuerunt cum tribus julapii ſequentis cochlear.

℞. *Aq. Ceras. Nigror.* unc. vj.
Pæon. compoſit. unc. j. ſs.
Margarit. pp. ſcrup. ij.
Saccbar. Alb. drach. ij.
M. F. Julap.

Vigeſimo nono ejusdem menſis bolus e *Calomel* & *Rheo* repetitus eundem præſtitit effectum ac antea. Inſequentis Aprilis octavo in febrem incidit violentam, vomitu, dorſi doloribus, & variolarum ſymptomatibus, per 24. horas concomitatam: remittente febre, hauſtum cum *Sale Abſynth. Syr. Alth.* ſuperius præſcriptum adſumpſit. Urina referta erat arenulis rubicundis quæ filamentis, vel pilis ipſi innatantibus, adhærebant. Rediit ſæpe, incertis tamen periodis, eadem malorum caterva: flaveſcit facies declinante morbo: temperamento gaudet ſanguineo.

Enixe rogant Parentes ut ſententiam tuam de ægræ ſtatu quantocyus aperire digneris.

RESP.

ACcepi, legi, perpendique ſumma cum cura hiſtoriam accuratiſſime conſcriptam de morbo, quocum conflictatur valetudo illuſtriſſimæ Puellæ: dein id, quod ex ea collegi, libere ita profero, ut ſapientiorum judicio prorſus ſubmittam.

In regione hepatis, & veſicæ biliferæ, amurca ſpiſſa & calculi hærebunt, his iter in duodenum bili intercipitur; hæc ideo detenta, aggeſta, vaſisque repletis moleſta, irritat ſolicitatque naturam, ut ope febris & vomitus, turgens fel per vaſa Jecoris retropellat in venam cavam, miſceat Sanguini, edat Icterum: ſic pro tempore liberare videatur amabilem ægram: ubi vero regenerata copia bilis vaſa appellet, eadem renaſcitur malorum ſeries, eodem tranſitura modo, ſicque per vices itura redituraque donec radix extirpata fuit.

Sane niſi ſapientia providetur, tandem metuendum, ne toties geminata violentia rumpantur fatali eventu viſcera, aut lethali tandem ſanguinis per affuſam bilim reſolutione, hydrope extinguatur infans.

Remedio erit creber uſus olerum aperientium in jure carnium incoctarum: Apium, Braſſica rubra, Chærophillum, Cichoreum, Endivia, Petroſelinum, Scorzonera, Ciſarum, Tragopogon, tum maturi bene ſucculenti fructus, Rubi idæi vel ſylveſtris Fraga, Ceraſa, Groſſulariæ, Mora, & quidquid horum; ſerum lactis recens, de bobus recenti verno gramine paſtis hauſti, ſi melle puriſſimo diluto ad ſuavem uſque ſaporem dulcius temperatur, uſus erit mirifici: quum nil aliud efficacius,

ſimul-

ſimulque mitius fundat coactam materiæ duritiem; temperet Bilim, expediat meatus, laxet alvum, ducat in debitas naturæ vias fellis inverſum iter.

Interim tenelli corpuſculi mollia abdominalia hypochondria imprimis, mane & veſperi per dimidiatæ horulæ ſpatium perfricanda omnino pannis aſperiuſculis, calidis, ſiccis, leni quidem motu, ſed per omnem gyrorum varietatem aſſidue mutato; faciendum hoc vacuo ventriculo, obſervandum religioſe.

Quin etiam oportebit carpento rudius per ſtrata viarum concutiendo movere corpus, hora ante prandium, cœnamque quotidie.

Pro Remediis internis imprimis ſuadeo, ſi uſus obtineri poteſt a tenella ætate, ut quater quotidie ſumeret Unc. j. Decocti ad litteram A. deſcripti, paulum calide; id vero fieret mane, hora ante jentaculum, meridie hora ante prandium, veſperi hora ante cœnam, deinde decima veſpertina, ſi tum iterum evigilat aut ſuſcitatur. Hoc tutiſſimum equidem ſed & efficaciſſimum ſimul eſt quod habeo; ſi autem impetrari nequit, ut his utatur, coacti tunc ad vicarium B. licet haud ita laudatum ire cogemur. De illo autem bibat cochleare I. ſive unc. omni trihorio, medicamenta quidem commendata debebunt in continuatum uſum protrahi per bimeſtre ſpatium: enimvero alte eſt radicatus morbus, acri prom medela eget, dum interea tamen tenellæ ætatis & fabricæ ratio, lenia poſtulat & mitia valde auxilia, quare uſus diuturnitate compenſanda blandorum neceſſitas.

Faxit Deus, his cedat prorſus, aut rectioribus malum.

A. ℞. *Radic. Recent. Apii*
Bardanæ
Graminis

Fœniculi

Petroselini ana unc. j.

Scissæ & contusæ digerantur in aq. Pluviat. vase clauso non ebulliendo p. horam; tum adde

Aceti Acori ex Vino drach. vj.

Sal. Tartær. op. drach. ss.

Ebulliant simul spatio sem. horæ tum

Decocti unc. XIV. admisce.

Syrup. 5. rad. aperient. unc. j. ss.

B.

℞. *Aq. stillat. Rutæ* unc. xj.

Sal. Polychrest. drach. j.

Tartar. Vitriol. drach. ss.

Vitriol. Martis gr. xij.

Syr. 5. rad. aperient. unc. ss.

M.



XIX.

GEnerosa tuum implorans consilium colica vexatur hysterica: initio paroxysmi languet, frigent & rigescunt extrema, pulsus tremulus, durus, tum flatibus distenditur ventriculus, ibique dolor acutissimus, per diem unum aut alterum fixus hæret: ingesta qualiacumque eo temporis spatio, ne vel minimum caloris excitant sensum.

Medicamentis nervoso generi dicatis utitur, horumque nullum tantum levaminis adfert, quam castoreum Volatilibus junctum, & aromatica calida. Appetitus aliquando auctior est, hunc sequitur hypochondriorum tensio, rodens ventriculi dolor, appetitus abolitio, animus dejectus, pulsus vacillans, quæ omnia diarrhœa superveniente desinunt: redit dein appetitus, quem enarrata vulgo sequuntur sympto-

ptomata. Pulſus ut plurimum celer & durus; inæqualis vero ab improviſis gaudio vel timore.

Quos peperit infantes eodem fere malo afficiuntur: a quinto ætatis menſe hectica laborant febre, per totum dentitionis tempus perſeverante, & adeo voraces ſunt aliquando, ut cibos eo uſque ingurgitent donec hos iterum rejicere cogantur: nunc Diarrhœa nunc vero vomituritionibus torquentur. Sudoribus, tuſſi, & reſpirandi difficultati obnoxii ſunt: hoc vitæ ſtadium ſuperarunt duo natu majores, natu autem minima inſuper afficitur maculis aliquando eriſipelatoſis, aliquando cryſtallinis per totam cutem erumpentibus, ichorem albidum fundentibus. Omnium tandem pulſus celeris, & temperamentum calidum eſt. Sequentibus uſi ſunt ſolummodo medicamentis, Rheo, ſcil. vinis medicatis, pulveribus teſtaceis, cortice, vel forma ſyrupi vel externe abdomini admoto, & identidem Diacodio: ad eruptiones tandem purgantia e calomel. & unguent. Piperin. Batæi, adhibita ſunt; aqua, cui argentum vivum incoctum erat, inſerviebat gelatinis, quibus veſcebatur, conficiendis.

RESP.

BEne examinavi argumentum epiſtolæ, cui re deliberata repono; me vereri ne quid obſtructi lædat officinam bilis, & ejus liberum iter ad inteſtina intercipiat, unde impediti fellis exacerbatio, accumulatio, tandem irritatio violenta, inde acutos dolores gignit.

Ideo reſolutio hujus materiæ, apertura vaſorum, & dein lenis propulſio offenſæ requiri videtur ad ſanationem, habita ſimul ratione debilitatæ fabricæ

nervorum, & promptæ perturbationis systematis nervosi.

Si igitur deglutiret omni trihorio diei, singulis vicibus, tria de catapotiis A. semper superforbendo unc. ij. de apozemate B. hæcque viginti & octo dies ea lege continuaret, multum ausim sperare boni; maxime si pariter corpus idoneo exerceretur motu.

Parvulis vero crediderim maxime prodesse si modice roborantibus remediis pugnaretur adversus imbecillitatem viscerum & humorum calidam acrimoniam; ideoque apte laudo acta jampridem, iisdemque ultra utendum prorsus suadeo: quale quid foret Medicamen C. si inde scil. unc. ss. exhiberetur ter interdiu vacuo potissimum ventriculo, hora nempe ante jentaculum, prandium & cœnam.

A.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. ij.
Borac. gr. x.
Sapon. Venet. drach. iij.
Terebinth. gr. v.
M. f. Pil. sing. gr. iij.

B.

℞. 5. *Rad. aperient.* ana unc. ij.
Sal. Polychrest. drach. j. ss.
Tartar. Vitriol. drach. j.
Cum aq. decoctis spatio sem. horæ adde
Ras. Lign. Santal. Citrin. drach. iij.
Semin. 4. calid. min. ana drach. j.

Stent in infusione fere fervida sine ebullitione, vase clauso spatio horæ, dein Decocti lb. IV. exhibe.

C.

C.

℞. *Cortice Capparid.* unc. j.
Cinnam. unc. ſs.
Tamariſc. drach. v.
Rhei drach. ſs.
Semin. Aniſi drach. iv.
M. f. pulvis tenuis qui cum
Aq. Stillat. Meliſſæ.
Hydromellit. ana unc. vj.
infundatur.

XX.

OCtodecim abhinc annis, frigori hyemali annor. 1715. 16. ſæviente, æger, cujus ſtatum deſcripturus ſum, de uvulæ relaxatione conqueſtus eſt; hanc initio neglexit: poſtea vero, cum ſomnum & deglutitionem impediret, gargariſmata, vomitoria, purgantia &c. in uſum fruſtra adhibuit.

Perſeverabat etiam idem malum ad annum 1721. faucibus partibusque adjacentibus exulceratis: tunc ad hydrargyrum confugiens ſat magnam ejus copiam interne aſſumpſit, & externe adhibuit, nullo alio inſequente effectu per quinque primas hebdomadas, niſi diarrhœa, ſolo aſtringentium Medicaminum uſu cohibenda: variata tandem medicorum conſiliis mercurii exhibendi methodo, ſecutus eſt ptyaliſmus copioſus per quatuor ſeptimanas, diſparuere vel minima exulcerationum indicia, uvula relaxata remanente. Ope tandem gargariſmatum adſtringentium, veſicatoriorum, & fontanellæ perpetuo fluentis, poſtquam etiam a morbillis convaluerit æger, Uvula ad naturalem rediit ſtatum. Initio anni 1722. nullum in faucibus percepit ma-

 lum.

lum. Per totum ægritudinis tempus, noctes fere totas scribendo vel legendo vigiles ita ducere solebat, ut exinde somnus admodum brevis & irrequietus sit.

Mense Martii 1726. absque vel minima tussi, incidit in sputationem fere continuam: qua perseverante, cutis color immutari cæpit, deperiitque carnosus corporis habitus: ab usu tabaci, quod forma pulveris magna assuetus erat sumere copia, per annum penitus abstinuit. Mense Augusti rus se contulit, ibique juxta regulas a Medicis præscriptas vitam per aliquot septimanas duxit: equitatio autem ipsi impossibilis erat, ob sævum hæmorrhoidum dolorem, quo dire cruciatur a sex circiter annis: Sputatio, thoracis Strictura, tussis, expectorationis difficultas, Sudores versus auroram erumpentes invaluere. Ad finem Septembris natale solum, in partibus septentrionalibus Scotiæ situm, petiit: discedentem immanis ani & abdominis invasit per sex dies dolor; sedes per id tempus nullæ, urina pauca, tenesmus continuus: circa finem Octobris Edimburgum rediit, sævientibus iisdem malis: fistula in ano apparuit, quæ sectione aperta, magnam materiei saniosæ copiam effudit. Tunc dolores per corpus vagi ingruere, tussis, sputatio, & sudores aucti sunt. Ad finem Decembris circa mediam noctem magnam cruoris, partim coagulati, partim fluidi copiam evomuit: post venæ sectionem ter celebratam, gradatim discessit sanguinis sputum, remanente materiei flavæ expectoratione. Per annos 1727, 28, 29, 30, 31, 32. æstate sanguinis sputum, hyeme vero tussis magis infestabant.

Anno 1733. plurimos & violentos paroxysmos sputi sanguinei passus est: & ab initio Novembris

ejus-

ejusdem anni ad medium fere subsequentis veris sudoribus & diarrhœa cruciatus est.

Sævit adhuc dira tussis, cujus longos mane præcipue patitur paroxysmos, unde vires multum dejiciuntur, Ichor e fistula fluit ad quantitatem unciarum duarum 24. hor. spatio. Decimo quinto Mensis Maij rediit iterum violentum sanguinis sputum, brevibusque datis induciis, perseveravit per duos menses: paroxysmum præcedit pressio & strictura thoracis, posteaque Sanguis purus & rutilans sæpissime levi tantum cum tussicula ejicitur: tussis, expectoratio difficilis. Sputum spissum, albidum, læve, sudores nocturni, ichoris tenuis saniosi per fistulam effluxus, vires exhauriunt. Tabescit corpus, remaneat licet appetitus: raro sitit: pulsus mollis, & æqualis, naturali tamen celerior, urina coloris plerumque citrini est, in cujus medio nubecula suspensa apparet, post sanguinis vero sputum turbida fit: aquæ injectum sputum, fundum non petit: in alterutrum latus decumbere potest: ambulatione vel equitatione fatigatur, attamen neque his, neque opio somnus conciliari potest; e contra enim horum usu minus placide requiescit: respiratio ut plurimum sat libera est, aliquando licet ab uberiori aeris inspiratione de thoracis dolore queratur.

Venæ sectio, emetica & purgantia lenia, pilulæ pectorales & balsamicæ e *Gum. ammon. Bals. solut. Pisselæo indico*, & *Spermate ceti; Pilul. Matthæi*, e *Styrace: Laudan. liquid. Syr. diacod. Cortic. peruvian. decoct. Styptic. Eaton. Syr. urtic. Heder. terrestr. Sem. lini theæ* instar: Lac muliebre, equinum, serum lactis caprini: diæta e lacte vaccino, equitatio aerque rusticanus, sunt remedia ad hoc usque tempus in usum vocata.

Jam vero, perseverante sputo sanguineo, post ve-

næ

næ sectionem celebratam, decocto utitur sequenti.

℞. *Radic. alth.* unc. j. ß. *Symphit.* drach. ij. *fruct. tamarind.* unc. iij coq. in aq. fontan. ℔. vj. ad ℔. iv. sub finem coctionis adde *Flor. tussilagin.* unc. ß. *rad. glycyrrhiz.* unc. j. coq. parum & immoto operculo refrigescat: colaturæ adde *Nitr.* scrup. ij. capiat unc. iv. omni bihorio donec sanguinis sputum penitus cessaverit.

Tabellis e pulv. *diatrag. S. R. Edimburgensis*, usus est.

Sputo sanguinis cohibito, ℔. una sequentis decocti quotidie utitur. ℞. *Radich. alth. Glycyrrhiz.* ana drach. ij. coq. leni calore in aq. fontan. ℔. j. ß. ad ℔. j. adde sub finem *Fol. heder. terrestr. Flor. tussilagin.* ana, drach. j. colatura detur usui.

Ad Ventriculi incommoda sublevanda, pulvere vel infuso *rhabarbari* utitur: jentacula sunt ex potu *theæ*, *coffeæ*, aliquando vero, sed rarius, e *chocolada*, cum pauco pane gelatina ribesiorum vel aurantiorum illito: prandium autem e pullis, pisis, cynaris, fabis junioribus cum cyatho uno vini Xerani vel Gallæciani; cœna denique e pede vitulino & pauco aceto, vel e jure ex pullo, pedibus vitulinis & rasura cornu cervi confecto: vel denique ex ovo sorbili, vel duorum ovorum vitellis in vini Gallæciani haustu.

Consulunt tandem Medici ut a vino & liquoribus spirituosis penitus abstineat, ut diæta lactea, & equitatione crebra utatur.

R E S P.

MAlum videtur ortum ex tussi diuturna frequenti, valida, quæ tenerrima vascula pulmonis quassat rumpitque. Efficit vero geminatio causæ, ut

ut debilis cicatrix facile solvatur, & ita quidem toties repetendo malum fere evasit naturale. Metuendum porro ne tandem succumbat his debilitata vita; unde summa ope nitendum quo malum avertatur, prohibeatur reditus.

Mittatur sanguis quater in anno mense Aprili, Julio, Octobri, Januario, triduo ante plenilunium ad unc. IX. Potus quotidianus esto ex lactis parte una, aquæ tribus cum pauco melle. Cibus ex farinosis vegetabilibus, omni modo paratis, & fructibus horæis, maturis, pane, lacte, cremore lectis; somnus largus in alta ædium parte sicca: deglutiat omni trihorio diei tres pilulas A. sumat statim desuper tepide unc. iij. decocti B. omni vespere hauriat potionem C. una vice ante somnum.

Omnia hæc continuanda spatio anni, si fieri potest; si tanto tempore caveri potest reditus Hæmoptoes, magna spes est reconvalescendi. Id faxit Deus.

A.

℞. *Balsam. Peruv.* drach. ss.
Catechu puriss. drach. j. ss.
Gummi Arabic. drach. j.
Mastiches drach. j. ss.
Olibani
Sarcocellæ ana drach.
Mannæ Calabrin. unc. ss.
M. F. Massa unde formentur Pilulæ gr. iij.

B.

℞. *Flor. rec. Alth.*
Symphit. ana unc. ss.
Flor. rec. Alt.
Verbasci ana m. j.
Rad. rec. symphit. drach. iij.
Liquirit. unc. ij.

Sem.

Sem. rec. Papav. alb. unc. ſs.
Plantag. drach. vj.

Cum aq. decoct. ſpatio horæ ℔. iv. exhibe.

C.

℞. *Aq. Stillat. Flor. Rhœad.* unc. j.
Syrup. Alth. drach. ij.
Diacod. drach. j.
M. F. Hauſtulus.

G.



XXI.

BOerhaavius in prima hac epiſtola cum nullam fecerit fiſtulæ mentionem, iterum conſultus ſequens dedit reſponſum.

RESP.

HIſtoriam triſtem miſerabilis morbi denuo cum cura evolvi, atque adeo equidem implicatum ex variis malum deprehendo. Invenio tam bona remedia, atque exquiſitam adeo medendi rationem adhibitam, ut rectiora iis excogitare aut prioribus a me datis vix poſſum ſuperaddere: Videtur corpus ita adſueſci ſputo ſanguineo, ita labefactatum, ut ad minima novi ſanguinis incrementa ſolvatur. Interea tamen fiſtulæ evacuatio videtur levare pulmonem, ut metuendum prorſus ſit, ea perſanata, pectus pejora paſſurum.

Faciunt perpenſa hæc incommoda, ut haud ita planum ſit dare remedia quæ hæc omnia juvare queant: Quum tuſſis, hæmoptoe, fiſtula, dolor coxarius, tumores, ſingula varia poſtulent. Ad tuſſim optimum cenſeo ut primum utatur omni bi-

ho-

horio diei æger unc. ſs. balſami A. ſuperbibens unc. unam decocti B. Idem quod erit ad lævigandam aſperitatem in Trachea, in Bronchiis ubi cicatrix toties ſolutarum arteriarum videtur irritationem tuſſiculoſam imprimis excitare; eo facit & tumeſcens a novo generato ſanguine locus, quem etiam meliorem inde futurum ſpero: ſane expedietur expectoratio, attenuabitur blande ſpiſſior materies, quin & diſponet corpus ad ſomni illecebras admittendas, quæ Mæconii uſu non potuerunt conciliari. Tumori vero videntur diligenter adhibenda quæ ocyus maturant, quo amiſſa cito materies avertatur ab interioribus, atque ſimul interiora hunc exitum nacta, ſe interne repurgent, unde plurimum ſolaminis provideri poteſt.

Jentacula præſcripta ſatis videntur convenire. Canarini unc. un. ter in die haud creditur nocitura. Carnes albas modice ſumptas de vitulo, pullis, cuniculis, agnis, piſcibuſque teſtaceis, ratione debilitatis, profore puto, nec nocituras. Cætera committenda cenſeo ſapientiæ familiarium & præſentium Medicorum qui prudenter ſatiſque feliciter periculoſum morbum tractaverunt: profecto mei diſtantia, temporis longitudo, inter datas literas & reſponſum receptum, efficient ſæpe minus opportunam ſententiam.

A.

℞. *Balſam. Peruv.* gutt. v.
Ol. Amigdal. dulc. rec. unc. ſs.
Syrup. Diacod. drach. v.
Vitelli ovi rec. drach. ſs.
M.

B.

℞. *Rec. Flor. Althee*
Rhoeados

Ver-

Verbasci
Hyperici ana unc. ſs.
Fol. Alth.
Scabioſ. ana m. ij.
Rad. Fœnicul.
Glycyrrhiz. ana unc. ij.
Sem. contuſ. Papav. alb.
Plantag. ana. unc. j.
Cum aqua decoct. p. horam lb. iij. exhibe.



XXII.

Annum jam ago 38. uſque ad tertium ætatis annum a febre vix unquam immunis eram, qua recedente puſtulæ & ſquammulæ furfuraceæ genua præcipue occupabant, adveniente vero febre diſparuerunt, hac vero ceſſante de novo eruperunt: ſicque alternatim ſeſe excipiebant: grandior autem factus, febrique minus obnoxius, perfecta videbar gaudere valetudine: ſerpſerunt interim ſquammulæ furfuraceæ ad crura, cubitos, & brachia. Cum autem virilem attigi ætatem, ad ulteriorem mali progreſſum prohibendum purgantia mercurialia quotannis, debitis intervallis, per decem annos aſſumpſi; ſed abſque ſucceſſu. Irrepſit enim malum ad femora, faciem, dorſum, digitorumque pedum & manuum extrema. Cum nullam, præter pruritum, percepi moleſtiam, Juriſprudentiæ operam dedi, genioque indulgebam, comedendo indiſcriminatim quæcunque apponebantur: a longo tamen tempore ab uſu cereviſiæ, carniſque ſuillæ, ſicut & a nimis ſalitis & conditis cibis abſtinui. Trigeſimo ætatis anno varia, medicorum conſilio, adhibui medicamina, qualia ſunt *Naſturtium aquaticum*, *Cochlearia*, *Ra-*

phanus rusticanus, *Salia volatilia* & plurima alia calidiora *antiscorbutica*; sed eorum usu vires acquisivit malum.

Parentibus aliunde natus sum sanis: fratres & sorores optima gaudent valetudine, excepta cutis asperitate.

A duodecim annis animadverti urinam sæpius saturatam, in fundo turbidam, sedimentum rubicundum deponentem, aliquando vero limpidam. Vestram super his quamprimum exopto sententiam.

R E S P.

EXpendi malum, & meditatus consulo, ut velis periculum facere hujus methodi, spatio sesquimestri;

1. Quotidie mane & vesperi, cures probe perfricandam cutim, ubi malum adest, pannis e rudiore lana contextis, calidis, siccis, supra accensi sulphuris fumum detentis & eo adhuc fumo imbutis.

2. Vites pinguia valde, tum & aere, fumo, sale siccata; sumas vegetabilia, farinosa, olera, fructus horæos bene maturos, carnes albas recentes, & fluviatiles pisces; pro potu cerevisia tenuiore utaris & pauco vino albo gallico.

Hora ante jentaculum, prandium & cœnam deglutias quinque pilulas simul A. & bibas statim super his unc. v. de liquore medicato B.

A.

℞. *Flor. Sulphr.* drach. iij.
Myrrh. drach. j. ſs.
Rhei drach. j.
Terebinthin. drach. j.
M. f. pil. sing. gr. iij.

C.

B.

℞. *Recentiss. Acet. Pratens. cum toto* M. j.
Gramin. cum toto M. ij.
Taraxac. cum toto M. j. ss.
Rad. Oxilapathi drach. ss.

Coque in seri lactis recent. q. s. per semihoram; dein liquoris per pannum pressi unc. xv. quotidie recentes exhibe.



XXIII.

RESpirandi difficultate a quatuor circiter annis laboro; hanc comitatur tussis, per horam vel semihoram perseverans; paroxysmum autem brevi solvit expectoratio libera & copiosa. Exercitatio corporis valida, potus liquoris generosi, præcipue cerevisiæ, usus tabaci, minimum frigus susceptum, aut demum aeris subita refrigeratio, non solum insultum inducunt, sed & augent etiam, imo dormientem excitant. Si ab actione procedat malum, tum primum invadit immanis capitis dolor. Mitescit quidem malum hac hyberna tempestate; quod acceptum refero *duodecim guttis Olei Sulphuris per campanam in aquæ frigidæ cyatho* omni nocte hora somni assumptis.

In juvenili ætate motibus spasmodicis obnoxius eram: jam vero annos natus sum 27. malumque præsens hyeme magis quam æstate infestat. Viget denique appetitus & quoad cætera bene valeo.

RESP.

SAtis magna dosis videtur adhibita fuisse *Ol. Sulph. per campan.* Morbus videtur esse Asthma convulsivum; si vero sequens præscriptum per

sex

sex septimanas successive sumatur, spero ægrum levamen accepturum.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. ij.
Balsam. Peruv. drach. j.
Croci drach. ss.
Trochis. de Myrrh. drach. iij.
M. F. Pilulæ gr. iv.

Sumat iij. ter de die, vacuo ventriculo, superbibendo unc. ij. sequentis.

℞. *Aq. Stillat. Fœnic.* drach. j.
Oxymell. Scillitic. unc. ij.
Syrup. 5. Rad. aperient. unc. ij.
M.

XXIV.

DOmina annos jam nata 36. morbillis decimosexto ætatis laborabat. His febris hectica, huic vero fere sanatæ, tussis sicca, thoracis dolor, purisque identidem expectoratio ad hoc usque tempus perseverans, successit. A nuptiis celebratis tussis ferocius sævit. Tuum igitur rogat consilium.

RESP.

QUantum potui intelligere historiam morbi cum quo conflictatur Domina, ex paucis descriptis, & responsis quæ accepi a Domino, crediderim ut sequitur.

1. Morbum hunc ortum duxisse a subitanea refrigeratione corporis prius calefacti, unde ligamentis, membranis & tendinibus musculorum nata cum dolore rigiditas & in musculis pulmonum quoque

nimia contractio, difficilisve explicatio, imprimis acriori aere.

2. Igitur in musculis Rheumatismi speciem in pulmonibus asthmatis sicci tussiculosi efficere.

3. In toto corpore debilitatem simul peccare.

4. Metuendum ne ætate increscente augescat malum, præcipue quando menstrua penitus desinent, ideoque opus omnino esse amoliri hoc malum.

5. Igitur semel in mense triduo ante plenilunium, applicetur inter scapulas vesicatorium ex cantharidibus, relinquatur in loco horas duodecim, dein aperiatur cito, saneturque; id ita tribus mensibus successivis fiat.

6. Interim toto medio tempore fricetur pars dolens, & frictu constanti mane & vesperi, pannis asperis, calidis, siccis, satis diu utcunque fortiter.

7. Quin & exercitio ambulationis aut vectionis in Rheda utatur perpetuo, quo magis eo rectius.

8. Interim bimestri spatio successive deglutiat omni mane ter 5. pilulas A, hora septima, octava & nona, semper superbibens unc. 5. calidas potus B.

A.

℞. *Gumm. Ammoniac.* drach. j.
Bulb. Ari recent. drach. ij.
Castorei gr. vj.
Galbani drach. j. ſs.
Opopanac. drach. ij.
Terebinth. drach. ſs.
M. f. Pilul. gr. iij.

B.

℞. *Rad. rec. Bardan.*
5 *Radic. aperient.* ana unc. ij.
Sal. Prunell. drach. ij.

Decoque cum aqua spatio semihor. lib. iv. admisce

Mellis Narbon. unc. iij.

XXV.

GEnerosa delicatioris corporis texturæ, tonitru & fulgure subito perterrita, vix sui compos erat per aliquot hebdomadas, metuens scilicet supremi Numinis judicium, postea autem melancholica & iners, dein vero hysterica evasit. Passio exinde ferocior facta, ter in mense dire affligit: neque ab ea penitus immunis unquam reperta fuit ægra.

RESP.

EXaminavi malum descriptum, unde sentio illud pertinere ad Epilepsiam Sympatheticam quæ ducit originem ex plexu nervoso magno epigastrico; hinc turbato horum nervorum ordine cerebrum affligi videtur, imo sensorium commune per plures horas opprimi penitus.

Est quidem id mali genus sanatu difficile, quia fere sine materie actiones cerebri assilit, veluti ex insidiis, obruitque qualiter solent summi affectus animi in deviis abripere perterritos.

In spem curationis hæc suadeo.

1. Semper emplastra epispastica A. cavis pedum applicata gerenda noctes diesque, excepto solo tempore balnei pedum.

2. Quatriduo ante novilunium & plenilunium omni vespere, hora ante ingressum in lectum, pedes immittendi balneo aquæ simplicis calidæ, dein pannis asperis, calidis, siccis, perfricandi; id itaque octo vicibus peragendum quolibet mense.

3. Prima die illius quatridui matutina sexta as-

ſumi debet pulvis B. vacuo ventriculo, cavendo illa die ab omni acido; eadem die veſperi hora quinta uno hauſtu potanda potio C. id ergo bis quolibet menſe peragendum.

4. Cæteris ſemper diebus ter in die vacuo ventriculo hora ante jentaculum, prandium, cœnam, deglutiendæ ſunt pilulæ tres D. ſemper ſuperbibendo unc. j. vini medicati E.

5. Corpus frictione, ambulatione, equitatione exercendum, quo plus eo rectius: ſomnus veſperi mature capiendus, mane magis matutine ſurgendum.

6. In cibo potuque conſulenda conſuetudo, potiusque indulgendum aliquid quam ſevere prohibendum, modo dura digeſtu evitentur. Leydæ 17¼32.

A.

℞. *Camphor.* drach. ſs. ſolut. in
Terebinth. drach. j.
Emplaſt. de Melilot. unc. ij.
Galban. opt. pur. unc. j. ſs.
M. S. A. pro Emplaſtris ad Alut.

B.

℞. *Cinnabar. nativ.* gr. iij.
Saccar. perlat. gr. vj.
Scammon. gr. vij.
M. F. Pulvis tenuiſſimus.

C.

℞. *Aq. ſtillat. Flor. Tiliæ*,
Lavendul.
Majoran. ana unc. j.
Spirit. Matricalis drach. j.
Tinct. Opii gutt. xiv.
Succini gutt. x.
M.

D.


D.

℞. *Asæ fœtid.* drach. ij.
Balʃ. Peruvian. drach. ʃs.
Camphoræ drach. ij.
Myrrhæ drach. ij.
Terebinthinæ drach. ʃs.
M. F. Pilulæ gr. iij.

E.

℞. *Cortic. Magellan.*
Saʃʃafras,
Tamariʃc.
Capparid.
Cinnamom.
Citrei ana unc. ʃs.
Lign. Agalloch. drach. ij.
Santal. citrin. drach. iv.
Lapid. Hæmatit. drach. j.
Limatur. Mart. drach. vj.
Rad. Angelic.
Caryophyllat.
Contrayerv.
Serpent. virgin. ana drach. j.
Semin. Angelic. Celeri, *Dauc. cretic. Fœnicul.* ana drach. j.

M. F. Pulvis craʃʃiuʃculus; deinde cum vini Rhenan. lib. vi. in F. S. A. vinum medicatum.



XIV.

VIR procerus, corporis habitus macilenti, 50. circiter annos natus, per plurimos annos in Indiis vixit occidentalibus, inde autem in Angliam reverʃus ibi per decem proxime præteritos annos remanʃit, ʃobrie & temperate vivens, optimaque va-

letudine gaudens; tuſſi tamen catarrhoſa, quam frigus ſuſceptum excitabat, pluribus ab annis laboravit, ſæpeque interdiu magnam phlegmatis copiam exſcreare ſolebat usque dum morbus quem jam deſcripturus ſum invaſit, ceſſavit enim exinde phlegmatis excretio.

Seſquianno abhinc iterum ad Indias abit Occidentales. Poſt paucos vero menſes elapſos revertentem in Angliam catarrhus corripuit; nihilominus ſtatim atque terram tetigit, veredos conſcendens per tres dies, domum rediit, ibique duobus diebus requieſcens, neque de catarrho aut itineris tædio conqueſtus eſt.

Menſe autem Auguſti proxime ſubſequente ſingultus, adhuc perſeverans, invaſit.

Cardia ita aliquando conſtringitur, ut liquidorum vel ſolidorum deglutitio impediatur: ſequitur ſingultus & phlegmatis craſſi, viſcidi copioſa rejectio: poſt hanc evacuationem, modo enormis non fuerit, ſat bene videtur ſe habere: ſi vero diutius perſeveraverit, ſenſum moleſtum, excorationis quaſi in thorace, ſpirituumque dejectionem poſt ſe relinquit.

Attamen non ſemper adeo ſevere affligitur: aliquoties enim tanta cum cautela deglutire conatur, ut cibos ad ſatietatem capere poſſit: nulla de ventriculo querela: nullus unquam vomendi adeſt conatus: excretiones omnes naturales rite procedunt, inſenſibili excepta perſpiratione: pulſus languet: marceſcit corpus: exhauriuntur vires. Equatione vel deambulatione quotidie corpus exercet; mens ipſi alacris & hilaris eſt, niſi ingruente paroxysmo, qui ſemper a deglutiendi conatu incipit.

In hujus ſtatus principio vomitoria ex Ipecacuanha ſeptimanatim repetita, pilulæ gummoſæ, tinctura Helvetii, Rheum, Kinakina, elixir vitrioli, plu-

pluraque alia ſtomachica, ſicut & diæta apta, fruſtra in uſum vocata ſunt. Ad Bathonienſes ſe contulit fontes, ibique per tres menſes aquarum potu, ſapone Veneto, cinnabare Mercurii alcoholiſata, ſpeciebus diambræ, variisque aliis ſub auſpiciis medicorum absque levamine uſus eſt. Inde reverſus, conſilio Medici hic celeberrimi, ſequentia a tribus uſurpat ſeptimanis.

℞. *Tinctur. ſacr.* unc. I. *ſpir. lavendul.* drach. ſs. m. f. hauſtus, omni nocte hora ſomni ſumendus.

℞. *Conſerv. abſynth. roman.* ſcrupul. I. *pul. Ari*, gr. xij. *limatur. chalyb. opt.* gr. viij. *ſpec. diambr.* gr. iv. *ſyr. cortic. aurant.* q. ſ. f. bolus ſummendus mane & quinta pomeridiana, ſuperbibendo Aq. ſpadanæ hauſtum, quam bibat etiam pro potu. Nil vero ſolaminis ab eorum uſu percipit, quare tuum conſilium omni qua decet urbanitate petit.

RESP.

MEditatus opinor morbum a ſumma glandularum ventriculi & inteſtinorum laxitate oriri, unde tam copioſa phlegmatis collectio & per ſuperiora tandem rejectio.

Præſcriptis medicamentis aptiora vix poſſibile eſt excogitare.

Uſum tamen ſequentium ſuadeo: ſumat omni mane jejunus quinque pillulas A. hora ſexta, ſexta cum dimidia, ſeptima, ſesquiſeptima, octava, ſeſquioctava, toties ſemper ſuperbibendo unc. ij. ſucci B. recens, in hunc finem quotidie preſſi: ſicque periclitetur ſesquimeſtri ſpatio. Leydæ $17\frac{2}{8}36$.

A.

℞. *Aloes lotæ puriss.* drac. ss.
Bilis recent. Lucij piscis gr. xv.
Croci gr. xij.
Myrrh. drach. j.
Sapon. Venet. drach. iv.
Terebinth. gr. ix.
M. F. Pil. singul. gr. iij.

B.

℞. *Herb. recentiss. Anonid.* m. j.
Boragin. m. ij.
Cochlear. m. j.
Diapens.
Eryng.
Fœnic. ana m. ss.
Gramin. m. iv.

Bene lotas, scissas, tere cum aq. pluviæ q. s. Dein preme magna vi prælo; ut sint quotidie Succi recent. unc. xij.



XXVII.

ÆGRA temperamenti sanguinei annos nata *36.* & quæ duodecim in lucem edidit infantes, octo abhinc annis febre correpta fuit quotidiana per quatuor fere menses: per id tempus de dolore capitis acuto præcipue conquesta est: cortici tamen cessit febris, post se relinquens dolores rheumaticos, eruptionesque scorbuticas, adhuc perseverantes, mitiores vero post usum succorum antiscorbuticorum, quos vere & autumno præscripsisti; febris dein incertis intervallis ægrotantem invadere solebat, quam frigus susceptum, vel evacuationes nimiæ, post partum (v. g.) uti tribus abhinc ann.

acci-

accidt, excitare solebant, quæ *cortice*, *rad. serpent. theriaca*, & *sale succini* semper fugata fuit.

Mensis Julii 2. ann. 1735. post partum admodum difficilem, in quo infans transversim in utero situs erat, doloribus, tribus postea diebus, evanescentibus, in febrim incidit superiori descriptæ simillimam; corticem autem tunc exhibere nefas putabatur.

Post mensem elapsum dolorem in thoracis latere dextro punctorium cum pulsu duro & respirandi difficultate percepit: repetitis autem venæ sectionibus, & vesicatoriis brevi sanata fuit: rediit tum iterum febris, eodemque modo ægram affligebat ac initio dictum est, hoc tantum cum discrimine, quod dum aerem spiret, sensum doloris molestum, & quasi quid grave & pendulum in thorace foret, experiri soleat: unde adhæsionis cujusdam metus nascitur.

Mensis Augusti 20. postquam sursum & deorsum purgata fuit, electuario e *cortice*, *theriaca*, *serpentaria virginiana*, *sale succini*, & *syr. caryophyll.* sicut & infuso e *cortice peruviano*, *cort. aurant. gentian. serpentaria*, *semin. cardamom. min. Flor. chamomill.* & *croco* usa est. Horum ope evanuit febris sub finem Septembris: remansit tamen corporis, præcipue abdominis, inflatio, quæ recedentis febris symptoma judicabatur. Thoracem vero nexilem brevi post induenti, ita protuberavit, & intumuit abdomen, ut septimum gravitatis mensem agere dixisses.

Huc usque evacuationes menstruæ rite procedebant, abdominisque tumor adeo enormis apparebat ut graviditatis ne vel minima erat suspicio. Menses statuto tempore, circa medium scil. Octobris, redituros frustra speravit; substiterunt quippe per decem dies: aderant tum vertigines, nauseæ, vomitu-

mituritiones, aliaque graviditatis ſigna, quæ uſque ad nonum inſequentis Januarii perſeveraverant. Per totum illud temporis ſpatium, bolum e *calomel.* hora ſomni, ſequenti vero mane, infuſionem purgantem, vel *pulver. Cornachin.* undecies aſſumpſit, diebus vero intermediis pil. e *gum. ammoniac. galban. ſapon. ſal. tartar.* devorare ſolebat: horum ope imminutus eſt tumor: Decembris tamen decimo nono maſſam duram ſub umbilico percepit: hæc initio profunda videbatur, mole autem gradatim aucta ad ſuperficiem perrepſit. Medicis hinc orta eſt graviditatis ſuſpicio, quamvis menſes, ſtatutis periodis, fluere non deſiverint: horum quidem eruptionem ab elapſo menſe Octobris in hunc uſque diem, præcedit, per duos dies, aquæ coloris fuſci evacuatio, menſtruus autem fluxus quamvis aliquando ſubſiſtere per diem unum vel alterum acciderit, debitis tamen periodis riteque coloratus redire ſolebat.

Januarii nono ægritudo & vomituritio, de quibus ſuperius, ceſſaverunt: motuſque quaſi plumæ, in medio maſſæ, bis tactu perceptus eſt: increvit de die in diem maſſa ad duodecimum Aprilis; aquæ tunc, parturientibus uti evenit, erupere, & per duos dies, parva licet quantitate, effluxerunt. Tum, inſtantis quaſi partus dolores ingruere, verſus maſſam non vero deorſum tendentes, & maſſam ſtringentes: perſeveravere per horas duodecim, & quotidie, per binas ſeptimanas, maſſa minime decreſcente, rediere: appropinquante menſtruorum tempore ſævire iterum inceperunt dolores deorſum pellentes, aquarum tamen expulſione copioſa imminuti: Junii 26. maſſam, ovi gallinacei magnitudine, tugurio involutam, abſque dolore extruſit, hujus ſubſtantia, poſt macerationem in aqua, nihil

aliud

aliud videbatur esse, præter Membranam sanguinem grumosum continentem, & vi a parte quadam uteri, cui adhærebat, avulsam: omnia insequuta sunt symptomata, partum sequi solita: allevatur abdomen, quando mammæ turgent lacte; hoc autem viam per uterum brevi sibi quærit.

Julii 21. eadem rediit malorum caterva, tresque protrusit massas humore lacteo repletas.

Augusti 18. majori copia quam antea aquam fusci coloris demisit.

Septembris 11. post similem fluxum, absque dolore emisit iterum massam, cui ad latera adhærebant massulæ duæ albidæ, nucis avellanæ magnitudine, & figura renes æmulantes. Eodem die magnam quantitatem membranularum albidarum, rubrarum, nigrarum cum urina reddidit.

Præterea notatu dignum est ægram, a sex mensibus, diarrhœa, singulo sesquimestri spatio recurrente, affligi; unde quindecies de die alvum deponit; sponte autem, post duos tresve dies, desinit: alvus alias adeo ipsi astricta est, ut non nisi ope mannæ, vel cremoris tartari solvatur. Perseverat adhuc tumor, mollior quidem, at non imminutus.

Quos assumit sat bene digerit cibos, quamvis eorum appetentia non vigeat.

A tribus mensibus Sicera pro potu communi utitur. A mense etiam Octobris, quotidie libras duas Aquæ Spadanæ, ad hunc usque diem, ebibit.

Maculæ scorbuticæ, non amplius, sicut in initio, succis antiscorbuticis cedunt, sed eodem modo cutim defœdant.

RESP.

RESP.

HIstoriam mali perpendi, unde censeo duplicem concurrere morbum, quippe malum obstructa in abdomine viscera tumorem producere, qui tamdiu adeo manifeste apparuit; & præterea docent omnia quod in cavo uteri hæreat malum illud quod vesiculas generat membranosas superficiei matricis adnatas, succis uterinis plenas, vario tempore inde avulsas, tumque nisu satis violento expulsas. Crebrum quidem id sexui; & eo quidem difficilius, quod uterus semel vergens in productionem harum ampullarum novas regeneret, omnes humores maternos consumat in alimenta harum vesicularum. Molestissimum curatu deprehenditur, quoniam fabricam degenerascentis uterinæ structuræ vix arte emendare possumus, utut omnia tentemus. Reminiscor laborum quos exantlavi ad superanda heu frustra sæpe hæc mala! si tamen arte non providetur, plurima sane inde metuenda erunt. Quare omni ope niti decet ut tempestive præsens tollatur, avertatur futurum.

Quare optimum habeo hæc adhibere quæ sequuntur. Primo, Aere ficciore eoque tepescente utendum in parte ædium elatiore, austro exposita, inter tabulata lignea.

Secundo, somno utendum pleniore, inchoando vespere ante nonam, sexta vero matutina evigilando, in lecto semper bene ficco, inter ficcata bene stragula.

Tertio, mane statim a peracto somno totum abdomen, qua id molle, diu sed leniter perfricandum pannis laneis, asperis, calidis, ficcis. Perfricatio hæc strenue converti debet in omnes versus, sur-

sum,

ſum, deorſum, per latera, in orbem, in orbes contrarios, omni prorſus modo. Poſtquam hac frictione ita peracta ſpatio quadrantis horæ omnes meatus rite aperti, tum panniculum de Unguento A, debet oblini toti ventri, atque nova perfricatione adigi in cutim, ut evaneſcat prorſus; omne hoc opus repetendum veſperi antequam ſomnus capeſſatur: atque in ſedula quidem obſervatione hujus perfricationis princeps cenſeo adjumentum adverſus hoc mali.

Quarto, quotidie hora ante prandium corpus acriter ſatis exercitandum eſt vectione, curru, cum equo, facta dum viſcera cibis vacua: idem quoque exercitii genus repetendum veſperi, poſt digeſtionem præcipue peractam, ut ita juvetur vis naturæ quo ſe liberet felicius excuſſo onere; ſed & toto præterea diei decurſu actuoſa vita eſto, peragendo negotia, quæ corpus magis fatigent quam animum laſſent.

Quinto, pro Potu communi recens mulſa optima, addito vini Gallici albi pauxillulo; hæc enim pulcherrime ſolvit & aperit, præcipue quidem ſi maceris pauxillum incoxit ſimul. Cibi ex farinoſis vegetantibus atque oleribus mollioribus, tum carne recenti & fluviatili piſce petendi, ſæpe ſumendi, copia autem minuti ſimul.

Sexto, Omnia hæc dum ita peraguntur, erunt etiam diligenter adhibenda remedia interiora quæ blande & efficaciter fundunt ſolvuntque tenacitatem glutinoſæ amurcæ quæ impacta hæret in iis veſiculis, ea tamen lege ne vaſcula impleta rumpantur, ſed ope eadem conſerventur potius; ſumma quippe patientia opus ad hæc, ne ultra lædantur vaſcula. Optimorum hoc ſpecimen eſto. Sumat mane jejuna hora ſexta tres Pil. B, ſorbeat ocius poſt tres

uncias

uncias de potu C, id repetatur hora ſeptima, octava, nona. Eodem modo quo xij. Pilulas ita totidem uncias conſumat quotidie, ſic pergat agere donec vernus calor ſalubres virentium herbarum ſuccos largiatur, quibus dein ſapienter uti oportebit ad expugnandum ulterius morbum.

Fontes ſpadani æſtiva tempeſtate boni erunt.

Scripſi Leydæ 17 $\frac{12}{2}$ 37.

A. ℞. *Unguent. Alth. camp.* unc. ſs.
Martialis unc. j. ſs.
Nervin. unc. j.
Olei Stillat. Lign. Rhod. gut. vj.
M.

B.
℞. *Aloes puriſ.* drach. ſs.
Bulb. Ari recent. drach. j.
Croci optim. gr. ix.
Galbani drach. j. ſs.
Myrrhæ drach. j,
Sap. Venet. drach. iij.
Terebinth. gr. vj.
M. F. Pilul. ſing. gr. iij.

C.
℞. *Rad. rec. conſc. & contus Anonid.*
Cichorei
Eryngij
Fœniculi
Petroſelini ana unc. ij.
Sal. Polychreſt. drach. ij.
Tartar. Vitriolat. drach. j. ſs.
Decoctis cum aqua ſpatio $\frac{1}{2}$ horæ adde
Semin. recent. contus. Angelic.
Aniſi
Carvi
Fœniculi ana drach. ij.

Ebul-

Ebulliant iterum parum, dein Decocti lib. iv. admisce

Syrup. 5. *Rad. aperient.* unc. ij.

XXVIII.

VIR eximie, immodico ita mensium fluxu laboro, ut erecta stare nequeam: tenues adeo sunt, ut indusium, vel lintea parti applicata, vix tingant.

Grumos etiam sæpissime egero. His ita debilitatur corpus, viresque exhauriuntur, ut lecto quasi alligata sim: & ni levamen quantocyus adferre digneris, brevi de me actum erit: faciei color, a chartæ epistolaris masticatæ colore nullatenus differt: tabescit etiam corpus.

Medicus familiaris vini Gallæciani, & rubri gallici, sicut & jusculorum nutrientium, ut vocat, usum præscripsit; accusans, nescio quam, frigiditatem vulvæ meæ, quamvis optime norit, me plurimos, summo licet semper cum labore, peperisse infantes.

Quinquagesimum jam ago annum, habitus corporis sum laxioris, potius delicatioris.

RESP.

SUccincta morbi historia considerata, metuo ne humores omnes corporis, per uteri canales debiliores & laxiores elabendo, hydropem inducant. Consultum foret corpus quotidie pannis laneis, *flannel* dictis, perfricare.

Diæta exsiccans instituenda: cibus e carnibus assatis esto, cum vini gallæciani vel rubri haustu; pro

pro potu vero communi lac vaccinum cui cinnamomum incoctum fuerit, commendo. Exulent potus theæ & coffeæ, ſicut & cereviſiæ tenuioris.

Omni trihorio diei, a mane ſcil. uſque ad veſperam, deglutiendæ ſunt tres pilulæ A. ſemper ſuperbibendo cochleare j. vini medicati B. ſicque per ſex hebdomadas pergendum in ſpem ſalutis.

A.

℞. *Gumm. Ammoniac.*
Aſæ fœtid. ana drach. ſs.
Balſam. Peruvian. gut. vj.
Bol. Armen. drach. j.
Camphor. gr. vj.
Catechu drach. ij.
Lap. Hæmatit.
Maſtiches ana dr. ſs.
Sarcocoll. drach. j.
Terebinth. gr. xv.
M. F. Pil. ſing. gr. iij.

B.

℞. *Cortic. Capparid.* unc. ij.
Cinnamom. unc. iij.
Citrei flavi unc. ij.
Lign. Santal. Citrin. drach. iv.
Limat. Mart. recent. unc. ij.
Nucis Myriſtic. drach. iv.
M. F. Pulvis unde f. ſ. a. cum
Vini Rhenani pint. vj. Vinum medicat.



XXIX.

MUlier quadragenaria, corporis habitus obeſi & repleti, duodecim abhinc annis, ſubito valde perterrita fuit: ſequenti die colica flatulenta afſli-

fligebatur: brevi tamen, vulgari methodo cessit malum; quotannis tantum rediens mense Julii vel Augusti: a duobus autem annis dolor dorsi, hypochondrii sinistri, borborygmi, spirituum dejectio, sincope, ægram per aliquot menses, fere absque intermissione, discruciaverunt: post equitationem, urinam nigricantem, nullum sedimentum deponentem, reddidit.

Hyeme prægressa sæviit iterum per quosdam menses malum: urina, per id tempus, pauca, sedes parcæ, tenesmo licet vexabatur continuo. Paroxysmo hoc finito, calculos exiguos, arenulasque rubras egessit. Post balneorum ex aqua tepida, & aquæ Pyrmontanæ usum, urinam albescentem, sanie rubida refertam, demisit. Panni lanei, decocto calente chamæmeli, imbuti, lumbis circumducti, & ventriculo applicati multum solaminis attulerunt.

A duobus mensibus vespere quotidie redit malum diris hypocondrii sinistri & dorsi doloribus stipatum: per totum paroxysmi tempus frigescit corpus: haustus vini Xerani tepidi, decubitus in grabatulo ad focum, frictiones cum pannis lanneis calidis, levamen adferunt, somnus irrepit, sudores erumpunt, & expergefacta copiose urinam absque dolore, licet quodam cum ardore, demittit. Dolet caput, caligant oculi: alvum raro deponit: fluxus menstruus, licet dolorificus, statutis tamen redit periodis: in lævo paroxysmo ventriculus inflatur & contenti cibi vomitu rejiciuntur: plures in lucem edidit infantes, nullus tamen a septem præteritis annis. Medici nostrates vomitoria ex Ipecacuanha, enemata, pilulas gummosas, salia volatilia, chalybeata, & opiata varii generis, præscripserunt: eorum etiam consilio abdomen fasciis semper circumvolvitur.

RESP.

EXcuſſi hiſtoriam qua deſcribitur morbus Dominæ, & re rite expenſa cenſui, quod triplex imprimis malum concurrat; videtur enim obſtruentis quid in ſyſtemate cœliaco & meſenterico obſidere vias, unde expedita hujus prohibetur actio: adeſt ſimul in nervorum ſyntaxi nimis mobilis agilitas, & denique renum quoque officina Lithiaſi laborare creditur. Sanationi vero ex ſe ſatis difficili nihil magis obſtat, quam contrariorum ſimul requiſitorum repugnantia & neceſſitas.

Erit ideo temperandum ita auxilium ut ferri queat a ſingulis, atque univerſis tamen prodeſſe. Conſulo igitur tantum motus corpori conciliet quantum ferre poterit; nihil enim magis exigitur ad omnia. Quin & neceſſarium quoque erit mane & veſperi abdominis mollia bene perfricare pannis aſperis, calidis, ſiccis, quo haud aliud majus juvamen fert ad flatus atque oppreſſi ventris mala.

Vellem etiam commendatum uſum remedii A. ea quidem lege, ut inde caperet drachmam unam quater interdiu; mane hora ante jentaculum una, iterum ante prandium hora, tertio quinta pomeridiana, denique ultimo hora ante cœnam, ſumatur ex oblato, ſtatimque ſuper ſorbeantur unciæ binæ de apozemate B. De victu præcipere quid gnaris nil attinet; id ſerio ſuadeo ut nona veſpertina cubans matutino ſurgat, parum interdiu quieſcat. Hæc ea quæ hyems admittit conſilia. Vere autem adſpirante, major a ſalubri herbarum vernantium ſucco ſpes. Interim laudata modo erunt uſu continuato adhibenda ſesquimeſtri, priusquam cerni queat quæ in votis eſt emendatio. Leydæ $17\frac{7}{1}36$.

A.

A.

℞. *Croci* gr. xv.
Curcumæ drach. ſs.
Lap. Cancror. drach. j.
Mannæ Calabrin. unc. j.
Maſtiches drach. ſs.
Rhei drach. j.
Succi Glycyrrh. inſpiſſat. unc. j. ſs.
Terebinth. drach. j.
M. f. a f. maſſa pulvere Liquirit. inſpergenda.

B.

℞. *Rad. Bardan.* unc. iv.
Eryngii unc. j.
Fœniculi unc. iij.
Parietar.
Scabioſ. ana m. j. ſs.
Cum aq. font. decoct. per horam adde
Agrimon. Beton. Meliſ. ana m. ſs.
Ebulliant iterum parum, dein ℔. iv. exhibe.



XXX.

ANnum jam ago 36. obeſa, non tamen robuſta; ex quo bis peperi, ſepties aborta ſum; cui malo præcavendo multa variaque aſtringentia medicamina adhibui; unde obſtructiones natas eſſe puto. A quinque annis utero non concepi: a tribus vero annis menſtrua vaga ſunt & incerta: duobus abhinc annis febre, vomitu & diarrhœa laboravi, qua ſanata, balneis & aquis Bathonienſibus per tres menſes uſa ſum: diu antehac colica frequenter infeſtabat: pleuritis etiam invaſit, cui ſanandæ, detractæ fuere unciæ ſexaginta ſanguinis

ſpatio quadriduo; cui reparando haud breve ſuffi-cit tempus: en obſtructionis, ni fallor, initium.

Menſe Decembris præterito, perculſa ſummo terrore in icterum incidi: actum tunc de me fuiſſe arbitrabantur Medici: convalui tamen; at menſes penitus ſubſtiterunt. Bathonienſes conſuluerunt aquas; ab harum autem potu intumuit corpus, nec mihi, utpote hydrope laboranti, congruere exiſtimabant: balnea ſemel experiri volenti deperiit artuum uſus & motus.

A purgantibus per aliquot menſes aſſumptis detumuit abdomen: nervos a diuturniori eorum uſu debilitatos percipiens ab iis abſtinui: ſicque pedetentim redintegratæ ſunt vires, & ſanitas ab octo jam menſibus reſtaurata eſt. Nitida & ſucculenta videor: ſomnos dulces capio, viget utcunque appetitus, flatibus licet diſcrucior: menſe Februarii prægreſſo fluxerunt menſes, exinde vero ceſſaverunt, iterumque incipit abdomen intra & ventriculum tumor perdurus, quaſi utero geſtarem, ventris autem infimæ partes omnes molles ſunt; veſperi tument aliquantum malleoli: ſitis quamvis non urgeat, perplacet mihi tamen potus ſiceræ: urinam congrua quantitate reddo, alvumque placide bis terve de die depono.

Si a conſpectu mei rectiorem fore ſententiam tuam arbitreris, libere dicas, & trans mare currens ad te veniam.

RESP.

Hiſtoria morbi attentius perpenſa ſequentia commendo.

Cibus eſto exſiccans, potus vero ſicera, vel cerevifia primaria. Corpus, quantum ferre poteſt, exer-

exercendum. Vesperi hora nona decumbendum. Mane & vesperi abdomen, præcipue ubi tumor apparet, semihoræ spatio fortiter perfricandum pannis laneis, probe siccis: inde boni multum sperandum.

Omni trihorio diei deglutias velim tres pilulas A. semper superbibendo cochlearia duo liquoris B. si hæc religiose observentur trimestri spatio, summa spes est reconvalescendi.

A.

℞. *Aloes optim.* drach. j.
Bulb. Ari Recent. drach. ij.
Ol. Stillat. Junip. gutt. x.
Sapon Venet. drach. iij.
Terebint. drach. ſs.
Trochisch. de Myrh. drach. ij.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Aq. Stillat. Rectificat. Junip.* ℔. ij.
Rob. Baccar. Junip. drach. iv.
Sal. Polychrest. drach. ij.
Spir. Junip. drach. iij.
Tinct. Contrajerv. drach. vj.
M.



XXXI.

Dilecta mihi filia annos undecim nata, procera, non autem obesa, postquam variolas & morbillos passa est, optima gaudebat valetudine ad octavum usque ætatis annum; tum vero febre tertiana, ineunte vere, correpta fuit, quæ Corticis pulveri ter cedens, rediensque toties, ad mensem usque Augusti perseveravit, penitus vero cessavit post usum corticis cum vino Xerano infusi: proximo ite-

rum rediit vere, vomitoriis vero, & infusione Florum chamæmeli brevi fugata: tertia demum vice verna tempestate invasit, vomitoriis & cortici rebellis; cessit autem sex cochleariis succi petroselini, cui spiritus vini cochlearia duo admixta fuere, quæ quotidie per septimanam assumpsit. Tumuit deinde facies, ita ut labia aperire vix poterat: blandorum autem purgantium ope tumor post mensem evanuit.

Mense Maij serum lactis caprini commendarunt Medici. Ruri autem, a frigore intenso forsan, odontalgia crudeli divexata fuit: collecta in gingivis materies ad suppurationem ducta, viam sibi fecit infra maxillam; parte vero brevi sanata, sero lactis caprini ad mensem usque Augusti usa est. Domum denique revertentem idem invasit malum, aperturam in eadem parte nactum. Mercurii doses quinque assumpsit & purgantia quædam lenia, rursusque pars feliciter persanata est. Novissime tandem sub maxilla intumuit glandula, mobilis adhuc neque parti adhærens; oculus lateri eidem correspondens valde inflammatus, & tumefactus est, doletque mane magis quam vespere. Venæ sectio, purgationes repetitæ, fontanella in brachio secta non juvant. Glandula non nisi tactu compressa dolet; Dentes, de quibus conquesta est, carie tentantur.

RESP.

QUo intentiore animo morbum Domicillæ excutio & perpendo, eo magis videtur mihi, quod crebræ tertianæ verna tempestate reversæ, induxerint cacochymiam sanguini quæ cortice peruviano suppressa quidem non sanata fuit. Hinc etiam fixata radice anniversaria jam ad vicem tertiam febris. Creditur & hinc etiam humores serosos, glan-

dibus

dibus proprios lentescere atque vergere in coagula circa partes, ubi imprimis ipsæ hærent glandulæ, ad oculos, genas, maxillas. Inde jam universum corpus male afficitur vagis variisque doloribus.

Hac rerum conditione optimum fore judico, ut omni ope conemur viscidum lentorem humorum attenuare, obstructa vasa expedire, sicque emendare firmatam dudum ægritudinem, quæ assidue repullulat. Eo proposito commendatum velim ut quotidie mane vacuo ventriculo instituatur frictio abdominis pannis laneis, siccis, calidis, semihoræ spatio: quo tollantur viscerum obstructiones. Dein Tempora, Facies, Cervix, Collum, maxillæ, loca circa aures pariter fortiter & diu perfricanda similibus pannis. Corpus omni motus genere exercitandum est, ambulationis, saltationis, aliisque; quo magis, eo quidem consultius, ut ea ratione sanguis motu musculorum incitatus promptius agat. Quum vero semper perferre in his casibus Systema Hepaticum affectum pateret, imprimis necessarium erit concretam ibi materiem fundere atque in exitum deducere. Id præstat solvens herbarum succus quotidie sesquimensis spatio potatus. Igitur mane quotidie post frictionem peractam bibat hora septima, octava & nona, singulis vicibus tertiam partem de succo A. quotidie recente, qui ut melius operetur, sumat vesperi cubitum itura tres Pil. B. Toto autem tempore quo bibit succos, oportet leni sed assidua deambulatione exercere corpus, ut in usu acidularum fieri consuevit. Vesperi mature omnino cubandum neque frigori vespertino exponendum corpus, quin & somno indulgendum pleniori.

Cibi faciles concoctu, solidiores tamen, ter in die usurpandi. Jentaculum ex pane biscocto, mane post ultimam dosin succi: prandium & cœna ex modo

dictis, vitanda tantum ea quæ aere ſiccata, indurata fumo, aut multa muria condita ſunt. Fructus horæi bene maturi miteſque, olera mollia, herbacea, lac recens, ſerum lactis quandoque proderunt. A prandio & a cœna conferet pauculum vini bibere ad robur præſtandum ventriculo. Leydæ 17 1/7 36.

A.

℞. *Recentiſs. Agrimon.*
Bellid. Pratenſ.
Chærophyll.
Endiviæ
Fumariæ
Graminis ana m. j.

Minutiſſime ſciſſis & contuſis exprime ſuccum prælo quem omni mane recentem exhibe.

B.

℞. *Aloes puriſs.* gr. xv.
Borac. gr. vj.
Cremor. Tartar. gr. ſs.
Sal. Polychreſt.
Tartar. Vitriolat. ana gr. vj.
Terebinth. gr. iij.
M. f. ſ. a. pil. ſing. gr. iij.



XXXII.

DOmina Nobilis, delicatioris corporis texturæ 41. annos nata, numeroſæ prolis mater, a pluribus annis dira vexatur tuſſi, expectoratione copioſa, ab hectica tamen immunis. Negotia domeſtica alacriter peragit.

Quinque ab hinc annis ſeptimeſtrem peperit infantem, exinde vires debilitatæ ſunt & valetudo labefactata. Sequenti anno menſium fluxu immodico correpta

repta fuit: convaluit tamen, & tussis videbatur postea imminuta. Sesquianno abhinc diarrhœa, Sudores, appetitus prostratus ingruerunt, tussisque sævior invaluit: ab his tamen malis brevi liberata pristinam videbatur recuperasse sanitatem: tussis licet mitior, corpus tamen macrescit.

Vere proxime elapso, frigidiori aeri nimis exposita, dolorem in capite, cervice, & brachio dextro persensit. Emetica, vesicatoria, fotus emollientes & attenuantes, frictiones, cum pannis laneis siccis, multum levaminis attulerunt; remanet autem in brachio adhuc aliqualis dolor. Ab aliquot septimanis cibos male digerit: nocte præcipue pejus se habet: duritiem quandam, & motum quasi embryonis nunc in hac, nunc in illa abdominis parte percipit: alvum raro deponit: dolores vagos & fugaces in cervice & thorace experitur: Tussis autem mane solummodo molesta.

Catamenia fere evanuerunt: horum quicquid remanet, coloris est nigricantis; nunquam urget sitis nisi nocte dum ægritudines & calor inquietant: a laxitate nimia gingivarum, in alveolis suis vacillant dentes.

Vomitoriis frequenter utitur. Horum ope magnam phlegmatis viscidi copiam cum levamine rejicit. Corpus domi continuo exercet, & cœlo favente equitat.

R E S P.

MEtuo valde ne malum Dominæ pendeat a debilitatis visceribus, hinc turbata prorsus coctione, unde lenta pituitæ accumulatio & actionum vitalium impedimentum. Princeps ad hæc remedium censeo, si mane vacuo ventriculo hora septima, octa-

octava, nona, in lecto sumeret singulis vicibus quinque Pilulas A. & statim biberet super his uncias IV. lactis calidi, mixti cum æquali portione Aquæ Spadanæ de fonte Pouhon. Eo peracto abdomen universum perfricandum leniter quidem, sed spatio tamen quadrantis horæ pannis asperis, calidis, siccis. Dein exercitatio equitationis commendatur, quo crebrior eo quidem melior. Brachium affectum & Cervix similiter perfricanda erunt; proderit etiam semel in hebdomade vesicatorium applicare brachio affecto, id modo horis duodecim ibidem detinere, tum statim consolidare, atque id ita repetere post octo dies usque in quartam vicem: Hæc ea sunt quæ meditatus potui ad hanc rem proferre. Faxit Deus ut prosit. Leydæ 17 $\frac{0}{1}$ 36.

A.

℞. *Balsam. Peruv.* drach. ss.
Bulb. Ari drach. j.
Curcumæ drach. ss.
Myrrhæ drach. j.
Opopanac. drach. j. ss.
Sap. Venet. drach. iij.
Terebinth. drach. ss.
M. F. Pilulæ. gr. iij.



XXXIII.

JUvenis annos circiter quatuordecim natus, temperamenti sanguinei, ab initio Augusti ultimo elapsi, raucedine, tussi, & dyspnœa laborat. Malum originem duxisse a frequenti natatione, & mora diuturniori in frigida, æstate prægressa, arbitramur. A longo jam tempore adeo sæviunt tussis & asthma, ut noctes fere integras sedens ad focum

ducere

ducere coactus sit. Accersitus, tredecim abhinc diebus, potionem præscripsi purgantem, quæ validius licet operationem exercuit, inde tamen levamen percepit; tabellas pectorales, & linctum deinde exhibui. Decimo tertio hujus mensis Dn. K. Medicinæ Doctor ad ægrum advocatus sequentia commendavit. Mittatur sanguis e brachio ad unc. vij. vel viij. crastino mane applicetur Emplastr. Epispastic. magnum inter scapulas vesperi; & bibat ex aqua & lacte p. æ. Mistis ℞. *Pilul. Ruf.* drach. ss. *Pulv. Milleped.* drach. I. *Succi Radic. Scillæ recens pressi*, *Ol. Chemit. Anisi* ana gutt. vi. *Sal. Volatil. Succin.* scrup. ss. *Oxymell. scill.* q. s. f. pil. magnitud. commun. quarum capiat iij. omni nocte hora somni, superbibendo unciam I. vel unc. J. ss. decoct. pectoral. Ab unica harum pilularum dosi adeo violenter alvum ter deposuit, ut ab earum ulteriori usu abstinere consultum duxit Medicus: ab epispastico etiam abhorruit æger, ejusque applicationem sinere noluit. *Lohoch. Fulleri* commune addito *spermate ceti*, præscriptum denique, & V. S. die lunæ præterita iterum celebrata fuit. Peripneumonia laborare ægrum judicavit medicus. Paroxysmi jam mitescunt, nec adeo feri sunt; quod rejicit phlegma concoctum videtur, ejusque quantitas imminuitur. An febris symptomatica sit vel hectica statuere nequeo; pessima heu vereor!

RESP.

METus est ne diuturna natatione (quæ in historia præmitti debuit sed omissa fuit) in frigida, nervi Diaphragmatici læsi sint in sua functione; hincque malum asthmatis. Id vero vitii genus haud facile percuratur postea, quod manifestum

ſtum vel inde habetur, quod validis adeo remediis perſtat malum rebelle & pertinax.

Crediderim periclitandum eſſe ſedulo, an Equitatio valida, quotidiana, diuturna, vacuo ventriculo facta, adjutura ſit; ego ſic cum fiducia ſentio. Hinc eam pro palmario remedio commendo; interim nervis amica laudanda. Quare ſuadeo capiat omni trihorio tres pilul. *A.* ſuperſorbens ocius uncias ij. liquoris *B.* quæ omnia trimeſtri acta ſpatio multum boni promittunt: Deus ratum velit.

A.

℞. *Aſæ fœtid.*
Bdellii
Caſtor.
Galban.
Myrrh.
Opopanac.
Ol. Stillat. Succin.
Sal. Volatil. Succin. ppti. ana. dr. j. ſs.
Terebinth. gr. xv.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Aq. Stillat. Meliſſæ*
Rutæ
Roſmar. ana unc. vj.
Tinct. Succin. unc. ij.
Myrrh. dr. iij.
M.



XXXIV.

NObilis ſexagenarius a ſex vel ſeptem annis motibus ſpaſmodicis in uno faciei latere affligitur; accedit etiam dolor in maxilla peracutus, & copio-

copiosus salivæ effluxus: perseverat paroxysmus per dies aliquot, pluresque horæ spatio patitur insultus: per hebdomadas quasdam ab iis omnino immunis est æger: sectæ sunt, in dorso & inter scapulas, fontanellæ duæ adhuc fluentes, plurimaque assumpsit cephalica & antispasmodica medicamina, avulsique sunt omnes dentes in eodem latere. Sed omnia hæc frustraneo peracta sunt cum successu. Viget appetitus, neque ab assumptis cibo & potu male se habet.

RESP.

Consideratio attenta Mali descripti facit ut putem consultissimum fore si nobilis æger hæc faciet.

1. Vesperi semihora ante somnum instituat balneum pedum ex aqua simplici, dulci, postea partes fotas siccatas perfricet pannis laneis; deinde dormiat.

2. Mane semper caput lavet aqua frigida; deinde & illud curet perfricandum.

3. Biduo ante lunam novam & plenam bis adeo in mense sumat mane hora sexta pulverem A. ut purgetur satis fortiter ad eradicandum malum; eo die se domi contineat, vivat sobrius.

4. Cæteris diebus mensis sumat quotidie ter in die hora ante jentaculum, prandium, & cœnam tres pilulas B. novem ita quotidie, superbibendo unciam I. de liquore C. Hæc ita peragat per tres menses in spem levaminis a minaci malo.

A.

℞. *Agaric.* gr. viij.
Resin. Jalapp. gr. v.
Scammon. gr. vij.

Tur-

Turbith. Mineral. bene ppti. gr.
Sacchar puriſs. gr. vj.

M. F. Pulvis tenuis diu terendo in mortario vitreo.

B.

℞. *Gumm. Amm.*
Aſæ Fœtid.
Bulb. Ari Recent.
Sap. Venet.
Myrrh.
Succin. ppti.
Terebinth. ana drach. j.

M. F. Pilulæ ſing. gr. iij.

C.

℞. *Aq. Stillat. Sambuc.*
Majoran.
Roſmarin.
Rutæ
Salviæ
Spir. Meliſſæ ana unc. ij.
Tinct. Caſtor.
Succini ana drach. ij.



XXXV.

FŒmina nobili ſtirpe oriunda, quæque annum jam agit quadrageſimum, optimi aliunde corporis habitus, niſi quod febribus ſæpe repetitis multum debilitata, levibus poſtea nervorum morbis aliquatenus obnoxia remanſit.

A decem circiter annis alvum deponere nequit niſi ope laxantis medicaminis: neque Medici noſtrates huic incommodo adhuc mederi potuerunt. Fœces nunquam induratæ ſunt, alvumque abſque dolore exonerat; quamvis per tredecim aliquando

dies,

dies, libere & laute licet comedat, alvus maneat pertinaciter astricta, nullam inde persentit molestiam, præter repletionem & somnolentiam quandam. Cephalalgia hæreditaria divexatur; hanc frigus susceptum, vel minimus in non naturalibus error excitat; incipitque aliquando statim ab alvo exonerata, quæ excretio, tunc solummodo, placide & absque molestia peragitur; sequitur aliquando levis diarrhœa. Observavit insuper ægra, quamvis per plures dies alvum non deposuerit, dolorem capitis non invadere illo tempore potius quam alio. Dispositionem hanc ab avo traxisse suspicatur: is enim cephalalgia per totum vitæ curriculum laboravit, alvo autem libera fruebatur: e contra avia a cephalalgia immunis, astrictione alvi cruciabatur. Jam

Quæritur an a defectu *facultatis expultricis*, vel a defectu motus peristaltici intestinorum pendeat malum? an malum proprie dici possit *constipatio alvi*? cum ægra neque macilenta sit, neque vinis austeris, aut diæta astringente unquam usa sit, aut morbis, astrictionem alvi inducentibus, quales sunt *passio iliaca*, *colica Pictonum*, unquam obnoxia fuerit: an non fibræ intestinorum musculares debilitatæ sint, a nimia scil. Distentione: quod fieri sane aliter nequit, cum ægra copiose & liberaliter licet comedat, per tredecim tamen dies alvum non deponat? an sphincter ani culpandus sit?

Notandum denique est minimam purgantis dosim sufficere ad laxandam alvum, neque ægram enemata diutius quam par est, retinere, ultimo tantum, quod e decocto florum chamæmeli & oleo compositum erat, excepto.


RESP.

RESP.

Re perpensa, opinor nihil mali in eo quod rarius deponatur alvus, nihilque inde metuendum. Robur intestinorum, expedita venarum lactearum ora, perspiratio liberalior, hanc corpori conditionem laudabilem sane nec turbandam temere per medicamenta effecerunt. Id omnino liquet vel inde, quod a copioso alimento, rara alvi excretione, non gravis ventri tumor, durities, moles, pondus adsit. (*) Cæterum provectior ætas certo id, de quo jam Domina conqueritur, mutabit. Unicum quod tuto commendare ausim, erit ut sumat mane hora septima, semihora post, hora octava & sesquioctava unciam unam de potione hac per spatium sex hebdomadum.

A.

℞. *Aq. Stillat. Cichor.*
Fumar. ana unc. vij.
Mannæ optim. unc. j.
Sal. Prunell. drach. j.
Syrup. Cichor. drach. j.
Pulp. Tamarind. drach. x.



XXXVI.

Læta, si valetudo, heu! nimium labefactata sineret, ipsa ad te confugerem: ex literis autem, & ex iis quæ viva voce sciscitanti tibi enarrabit

(*) Hocce Symptoma explicuit Boerhaavius exemplo ab illis hominibus desumto, qui loca sub Æquatore jacentia petunt; hi enim triplo plus solito comedunt, alvum autem rarissime solvunt. Idem Britannis in Italia peregrinantibus sæpius accidit.

rabit Dominus quem ad te mitto, de morbo cum quo jam conflictor judicium & medelam te ferre posse spero.

Ad vigesimum usque ætatis annum sat prospera fruebar sanitate: sæva tum correpta fui febre, cui debellandæ magnam assumpsi *corticis* copiam; exinde vero ad hunc usque diem *Menses* penitus substiterunt: inde etiam diutina insultuum hystericorum series, quos mœror immodicus auxit. A diuturnitate morbi, & ab evacuationum omnium naturalium totali suppressione corpus valde emaciatum esse facile conjicies; (*a*) ciborum nihilominus viscidorum & gravissimorum appetentia perpetua est, (*b*) quos brevi post iterum vomitu rejicio: quod

(*a*) Cum hanc partem epistolæ legeret Boerhaavius demiratus plurima sciscitabatur de frequentia urinæ reddendæ, de alvi excretione, de fœcum colore, consistentia &c. Quibus responsum est semel in octiduo vesicam & alvum levare solitam esse; urinam esse straminei coloris ac fœtidam; fæces pernigras esse ac fœtere; ante semiannum subalbidas sæpius excrevisse, numquam vero ex illo tempore nisi febre quadam quæ recurrit satis vehemens post sex menses; nigras fæces esse duras, albas e contra solutas ac fluentes. Vicem harum excretionum nunquam supplet sudor; ægræ enim crasis est sicca ac hectica.

(*b*) Nullum erat edulii genus tam durum aut grave quod non comedebat ac magna quidem quantitate; vix vero semihoram retinuit quin per vomitum rejiceret sicque de novo esuriret. Potulenti quid interdum diutius restabat, minima vero quantitate omnisque vini aut spirituosi expers; aliter enim statim evomebat. Nullus tumor externe apparet, strictius potius corpus videtur, ac Ægra duri quid & compressi ad stomachum sentit. Medicamenta quam plurima incassum tentavit; sola V. S. sæpe ac parva quantitate instituta parum sublevavit: hæc vero dudum omissa est præ summa qua laborat debilitate.

etiam accidit post assumptos cibos concoctu faciles: in thorace & visceribus abdominis dolor continuus discruciat: ad stomachum durum quid ac nodosum percipio. Medici familiares morbum dicunt esse atrophiam nervosam, a glandularum totius corporis obstructione ortam. Ciborum aviditatem suspicor famem esse caninam, quamvis dicant eam procedere a depravatis ventriculi succis, quos quidem valde acidos esse ipsa experior. Statum meum funestum esse vereor, & ni opem cito ferre poteris, spem omnem abjiciam.

RESP.

OMNI qua poteram animi attentione historiam morbi singularis meditatus & demiratus repono.

Vero simillimum esse vim digestivam ventriculi & viscerum validissimam esse; unde nutritionis materies ita attenuatur ut per vasa interna facile pellatur, brevique post per diaphoresim dissipetur; hinc in iisdem visceribus humorum acrium accumulatio, ingestorum iterum cita digestió, partiumque nervosarum, statim atque materies digerenda deficit, corrosio.

1. Itaque consulo ut nobilis ægra, tribus successive diebus, cum regimine sumere velit vomitorium A.

2. Omni trihorio diei deglutiendæ sunt tres pilulæ B. statim supersorbendo Uncias duas decocti C. calide, incipiendo quarta die sicque quotidie pergendo.

3. Omni mane post somnum, abdomen universum perfricandum semihoræ spatio pannis laneis calidis, siccis.

4. O-

4. Omni vespere, sedeat ita ad focum, facie ab igne aversa, ut incalescant partes ubi renes siti sunt, tum harum partium cum pannis laneis instituatur frictio lenis, dein unguento D. inungantur optime.

5. Consultissimum erit, pane biscocto, communis loco, ad pastus vesci.

6. Potus optimus erit aqua pura, cocta & melle ad gratum saporem temperata: nil enim efficacius excrementorum duritiem emollit.

Hæc sesquimestri spatio sedulo peracta, salutifera fore puto.

Leydæ 16 $\frac{3}{10}$ 37.

A.

℞. *Rad. Ipecacuan.* scrup. ij.
F. Pulvis qui infundatur vase clauso tota Nocte cum Vin. Gallic. Alb. unc. ij. Mane liquori colato admisce
Oxymell. Scillitic. drach. iv.

B.

℞. *Aloes Succotrin.* drach. j.
Gumm. Ammon. drach. ij.
Myrrhæ drach. j. ss.
Sapon. Venet. drach. iv.
Sperm. Ceti drach. j.
Terebint. drach. ss.
M. F. Pilulæ. gr. iij.

C. ℞. *Flor. Alth.* p. iij.
Fol. Alth. m. iij.
Rad. Alth. unc. ij.
Cum aq. Decoct. per horam, adde
Semin. Contus. Anethi
Angelic.
Anisi ana unc. j.
Mellis optimi unc. ij.

 Stent

Stent iterum vase clauso per horas duas in digestione fere fervida sine ebullitione tamen. Dein ℔. exhibe.

D.

℞. *Unguent. Martial.*
Nervin. ana unc. j.
Ol. Scorpion. drach. iv.
Vitelli Ovi. drach. j.
M. S. A. F. Linimentum.



XXXVII.

JAM quinquagesimum quintum ætatis annum adimplevit Nobilis æger, qui a septem circiter annis vomitu correptus sanguineo, magnam rejecit sanguinis coagulati copiam, imo & per sedes egessit. Temperamento sat laudabili, ad id usque tempus, gaudebat; ideoque opipare semper vixit, carnibus succulentis vescens, vino liquoribusque spirituosis, sæpissime ad ebrietatem usque, nimis libere utens. Brevi cessavit sanguinis vomitus, atque per annum fere integrum sat bene valuit: tum vero dolor & distentio hypocondriorum invaluit, quibus misere, per duos aliquando dies, discruciatur; flatibus autem sursum vel deorsum erumpentibus ab iisdem liberatur; redit attamen a sex annis bis vel ter in septimana, idem malum: urina quoad quantitatem & qualitatem optima videtur: alvum autem omni triduo vel quatriduo, imo semel tantum in hebdomada, & tunc parce admodum, deponit. A ventriculi flatulenta distentione, sicut & ab alvo astrictiore malum omne pendere putat: ad hoc autem incommodum sublevandum Elixirio usus est purgante, Rheum etiam masticare solebat, plurimaque

maque alia ejusdem generis medicamina assumpsit, sed absque levamine; quamvis enim initio opem ferre videantur, statim atque eorum actio cessat, effectus quoque desinit. Appetitus vagus & incertus est: aliquando enim si forte fortuito plus solito comedat, ventriculus flatibus distenditur, neque sublevatur donec contenta vomitu rejiciuntur. Animadvertit insuper æger *penem* nunc ad unum, nunc vero ad alterum latus, absque dolore tamen, retrahi, agitatio quævis sive corporis vel animi violenta malum invehit. A diuturnitate morbi macrescit corpus, ab astrictione etiam alvi tument & dolent hæmorrhoides.

RESP.

CAsum descriptum attente consideravi unde consultissimum fore credo si Nobilis æger vellet sequentia tentare. Vacuo ventriculo quater de die sumat quinque simul Pilulas ad literam A. descriptas, hora ante jentaculum & prandium, quinta pomeridiana & hora ante cœnam: post ocius superbibat uncias tres decocti B. exercitia moderata valde proderunt. Hæc vero in usum trahenda per sex ad minimum septimanas in spem meliorum.

A.

℞. *Balsam. Peruvian.* drach. ss.
Mastich. drach. j.
Myrrh. drach. ij.
Sap. Venet. drach. iij.
Succi Glycyrrh. inspissat. drach. ij.
Terebinth. drach. ss.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Flor. Altheæ*
Consolid. mai. ana. p. ij.
Fol. Altheæ
Parietar.
Scabios.
Virg. Aur. ana. m. ij.
Rad. Glycyrrh. unc. j.

coque in aqua communi per semihoram; dein Decocti lb. iv. per pannum pressas exhibe.



XXXVIII.

ANno ætatis septimo Nobilis ægra febre, tussique feroci Phthisim minitante laboravit: post sex autem menses convaluit: dein vero Chlorosis invasit, qua durante, chartas furtim ita devorare solebat, ut inde vires multum dejectæ fuerint: aptis tamen medicamentis relevata, licet non penitus sanata ab omnibus ægritudinibus fuit. Decimo tertio ætatis anno mane cum surgeret, syncope correpta in terram decidit, ibique immota per aliquod tempus remansit, antequam ad se rediisset.

Quatuordecim postea diebus erecta alterum insultum passa est, statim atque paroxysmo corripitur, deperit omnino visus, atque eodem instanti decidit; sub finem vero paroxysmi luctatur quam maxime, spuma circa os apparet, sensusque & memoria, non nisi diu post loquelæ usum recuperatum, redire solent; de capitis perturbatione, artuumque dolore, quasi verberibus cæsa fuisset, per duos postea dies conqueritur; motum in abdomine insolitum persentit, fœcesque ipsa invita aliquando excernuntur: nulla instantis insultus signa percipit;

re-

redeuntque paroxysmi incertis periodis ; semel aliquando bimestri spatio , ter aliquando intra quatuordecim dies , nunquam vero bis eodem die invaserunt.

Sæpissime etiam manus ita convelluntur, ut nihil retinere possit ; tum pro momento perit sensus omnis , nullus autem insequitur paroxysmus. Accedunt tandem per intervalla strangulationes hystericæ, lipothymiæ , nervosique affectus. Menstrua semel in mense , incertis tamen diebus , & quantitate nimia erumpunt.

Sequentia adhibita fuere medicamina. *Sal jovis, visc. quercin. extract.* & *tinctura hellebor. nigr. Radix* & *Tinctura valerian. sylvestr. Castor. Sal succin. Limat. stanni* , *Gum. ammoniac. Galban. Crocus*. fontanellæ a pluribus annis fluentes , balnea e frigida : sed omnia hæc effectu desiderato caruerunt.

RESP.

Diligentissime perpendi casum descriptum ; unde opinor insultus ortos esse a defectu & penuria spirituum animalium post sanatam febrem ; & cum optima quæque tum generica tum specifica frustra adhibita fuere medicamenta , rectiora iis invenire molestissimum erit : serio tamen sequentium usum commendo.

Omni trihorio diei sumat nobilis ægra cochleare unum vini medicati A. immediate ante pastum : sicque pergat bimestri spatio : exercitatio interim corporis multum proderit.

A.

℞. *Cortic. Tamarisc.* unc. iij.
Cinnam. unc. ij.
Limat. Mart. rec. unc. ij. ß.

Radic. Contrajerv. drach. ſs.
Serpentar. Virginian. drach. j.
Valerian. Sylveſtr. drach. iv.
Semin. Dauc. Cretic. drach. vj.

M. F. Pulvis groſſus unde f. ſ. a. cum Vin. Rhen. generoſi lib. j. ſs. Vinum Medicatum.

XXXIX.

HYpochondriacus qui ſexageſimum ſecundum ætatis annum ſuperavit, hepatis, ſplenis, ventriculi, meſenterii, uno verbo, viſcerum omnium obſtructione laborat; tanta inſuper copia humores acidi & acres in ventriculo accumulantur a triginta jam quatuor annis, ut inde reſpiratio difficilis & anheloſa fiat: pruritus per totam cutem tantus eſt, ut ad hunc ſedandum unguibus ſcalpere ad ſanguinis uſq ue effuſioem cogatur: doloribus rheumaticis, licet non valde exquiſitis, per univerſum corpus, ſicut & alvo aſtrictiore divexatur. Tota hæc malorum ſeries ægrum jam 34. annos afflixerunt. Morbum male tractatum fuiſse vel inde patet, quod non niſi a quatuor menſibus medici hic celeberrimi invenerunt cauſam omnium malorum nil aliud eſse præter enormem illam copiam humorum acidorum qui in ventriculo ſcaturiunt, ante illud tempus ad Aſthma tantum attendentes, huic mederi conabantur, minime cogitantes aſthma ſymptom ticum ſolummodo fuiſſe; catarrhis præterea valde obnoxius eſt æger: ſtatim atque iis corripitur coryza per tres vel quatuor dies laborat; quarto plerumque die ſupervenit aſthma, ab humorum nimia ſpiſſitudine ortum.

Silentio denique prætermitto infinita propemodum

dum ſymptomata malum hypocondriacum ſequi ſolita, adeo dira, ut Medici Lovanienſes una voce fateantur, ægrum ni robuſtiſſimo valuiſſet temperamento, jam dudum fato functum fuiſſe.

12. Octobr. 1735.

RESP.

EXpendi caſum ſumma cum cura; unde cenſeo materiem atrabiliarem, ſcorbuticam, terreſtrem ubique dominari, hinc viſcerum omnium præcipue chylopoieticorum obſtructio. Magna autem ſi adfuiſſet acrimonia, huic per tot annos reſiſtere minime potuiſſet æger. Omni itaque ope intendendum ut impacta viſcida materies attenuetur, vaſa aperiantur, & humores lente quidem & prudenter deorſum ducantur. Temperandum interim acidum prædominans.

Deglutiat igitur æger quater de die, hora ſcil. ante jentaculum, hora ante prandium, quinta pomeridiana, & hora ante lecti ingreſſum, tres pilulas ad literam A deſcriptas, ſuper ſorbendo calide uncias tres liquoris B.

Hypochondria & abdomen omni mane perfricentur pannis laneis calidis, ſiccis, ſpatio ſemihoræ.

Corpus autem exercendum ambulatione vel vectione, quantum vires & cœlum ferre permittunt, id vero vacuo potiſſimum ventriculo faciendum.

Hæc ſunt quæ hac anni tempeſtate, medicamentis contraria, commendare auſim, quæ religioſe obſervata multum boni promittunt; quod faxit Deus.

℞. *Corall.*

A.

℞. *Corall. Rub.* drach. ſs.
Lap. Hæmat. drach. j.
Limat. Mart. drach. j. ſs.
Opopanac. drach. ſs.
Sapon. Venet. drach. iij.
Terebinth. drach. ſs.
M. F. Pil. gr. iv. circiter.

B.

℞. *Rad. Bardan.* unc. iv.
Eryngij unc. iij.
Fœnic.
Gramin. ana unc. ij.

Conſciſs. & contuſ. macera tota nocte in aq. commun. ſ. q. dein mane per ſemihoram decoctis adde
Raſur. Lign. Santal. Citrin. drach. ij.
Saſſafras unc. j.
Ebulliant iterum parum tum lb. iv. admiſce
Mellis Maſſiliens. unc. iv.



X L.

MEnſe Aprilis anni 1732. fœmina annum agens quadrageſimum ſextum , dum chartis pictis luderet , paralyſi linguæ & brachii dextri correpta fuit ; harum partium in inſtanti deperiit motus & uſus , in cervice quoque quid grave & moleſtum perſenſit : nihil præterea incommodi percepit : hilaris quippe negotia domeſtica , uti antea ſolebat, peragere potuit.

Venæ ſectio initio celebrata fuit , atque emeticum exhibitum . Medici noſtrates Galli , ſicut & unus Anglus non infimæ notæ , conſuluerunt Aquas & Thermas Borbonienſes ; interim donec tempeſtas oppor-

opportuna his usurpandis instaret, sequentia adhibita fuere remedia; guttæ nimirum paralyticæ dictæ; sinapis cum lacte & vino albo parata; decoctum lignorum, & tinctura cum spiritu vini facta; pilulæ ex asa fœtida, aliaque similia, quorum ope loquelæ usum aliquatenus recuperavit.

Ad Borbonienses se contulit fontes, multumque levaminis ab usu Aquarum & Thermarum accepit: partes autem affectas fontibus supponere noluit, cum autem persanata non fuisset, ad eosdem fontes abiit iterum mense Septembris, ibique partes affectas fontibus supposuit, aquisque & balneis usa est; convaluit exinde, atque per tres annos nil incommodi percepit præter capitis stuporem: huic autem malo vesicatorium bis capiti applicatum levamen attulit. Mense Junii præterito, post vexationem aliqualem, insultum de novo passa est; at non periit linguæ usus, voces enim proferebat, aliquatenus tamen indistinctas; torporem etiam ad latus percepit; post sectam autem saphænam, & emeticum exhibitum melius se habuit, at non perfecte sanata, quare tertia vice Borbonienses petiit fontes mense Septembris, unde denuo multum solaminis percepit: remanet tamen capitis stupor, & linguæ spissitudo quædam. Dolorem quem in pede per tempus persensit, ab arthritide provenire judicarunt Medici Parisienses; evanuit jam dolor ille.

Sinapi, guttis paralyticis, tinctura lilii, & tinctura asæ fœtidæ alternatim utitur, remanet autem adhuc capitis & linguæ stupor, rediit tamen usus dextræ manus.

A minimo malo mire perturbatur: res angustæ domi itinera ad fontes Borbonienses sæpius conficere vetant. Quater quotannis, invito Medico Anglo, de quo supra, sanguinem e pede mittendum curat.

Vo-

Vomitoria facile fert, atque uncia una ſemis mannæ alvum ſufficienter movet: delicatioris corporis texturæ eſt, nervisque gaudet facile mobilibus. Colicæ, abſque diarrhœa, a cunabulis obnoxia fuit. Tuum, & quoad diætam & quoad medicamina, conſilium verecunde petit.

RESP.

OMni menſe ſumat bis purgans A, tribus ſcil. diebus ante novilunium, tribus itidem diebus ante lunam plenam. Cæteris vero menſis diebus, hora ante jentaculum, prandium & cœnam deglutiat tres pilulas B ſuperbibendo unciam unam liquoris C. Caput omni mane frigida perlavandum, omni vero nocte pedes immittendi ſunt balneo aquæ ſimplicis tepidæ, ſpatio ſemihore.

Corporis exercitatio omnimoda quo major eo melior. Lectum petat hora nona, ſurgat diluculo, negotiaque domeſtica ad meridiem uſque peragat, tempus vero pomeridianum curis vacua, absque ſolicitudine tranſigat, in his ſedulo perſeverandum per ſex hebdomadas.

A.

℞. *Cinnab. Nativ. Hungar.* gr. vj.
Maſſæ Pil. Fœtid. gr. ix.
Pil. Rufi gr. x.
Sal. Polychreſt. gr. iij.
M. B. Pil. nu. ix.
Sumantur una vice.

B.

℞. *Aſæ Fœtid.* drach. ſs.
Caſtor. Siberic. gr. ix.
Galban. drach. ſs.
Myrrh. gr. xv.

Olei

Olei Stillat. Rosmar. gutt. x.
Sal. Volat. Succin. gr. vj.
M. F. Pil. sing. gr. iij.

C.

℞. *Aq. Stillat. Lavandul.*
Majoran.
Rosmarin.
Rutæ
Salviæ. ana unc. iij.
Spir. Rosmarin. drach. v.
Tinctur. Succin. drach. j.
M.

XLI.

HIstoriam morbi quidem pertinacis puellam nobilem infestantis, jussu parentum ejus nobilium boni quiddam ex salubri tuo consilio expectantium, considerationi tuæ transmitto. Ne vero te diutius interpellem, historia ita se habet. Nobilis ægra tres annos mensesque novem nata habitus gracilis corporis & delicati, sanis parentibus orta, sed ut passim creditur postremis tribus lactationis mensibus a nutrice non admodum sana lactata, in mense quarto ætatis febrem equidem vehementissimam perpessa fuit; qua depulsa scabies humida cum pruritu vehemente & tumoribus quibusdam; unus quorum in pectore prope axillam suppuravit & diu materiem purulentam reddidit; Nobilem ægrotam spatium trium vel quatuor mensium vexavit; sed mense Decembri 1733. currente tum ætatis mense septimo ablactata, salubri diæta & bono regimine a scabie liberata & sanitati restituta fuit. In mense Octobri 1734. quando sola

la obambulare potuit, quodam die tibia tabulato sinistra incubuit & geniculum allisit. Viginti quatuor horis plus minus elapsis geniculum intumuit cum inflammatione & dolore vehementi, sed hisce cæterisque molestis symptomatis, partem affectam calido spiritu vini Camphorati & similibus lavando, sublatis, ægrota usum articuli ex parte recuperavit. Currente tamen hyeme sequente articulis infirma fuit. Intumescentiæ quoque in parte interiori femoris sitæ super musculos gracilem & sartorium interdum etiam in poplite inter tendines flexores aderant. Remedia ad tumescentias tollendas & articulum corroborandum sed incassum adhibita fuere varia, ut *Spir. Vin. Camph. Sp. Aq. Hungar. Camphor.* nempe

℞. *Vitriol. Roman.*
Boli veri ana dr. j.
Camphor. drach. ss. f. Pulvis subtilissimus & injiciatur in Aquæ Fontanæ bullientis Lib. j.

Fiat Aq. Camphor. turbida.

Acetum cum aqua frigida mistum & aquæ frigidæ lavacra. Mense Majo 1735. postquam Emplastro de Minio cum Sapone ad duodecim dies vel eo circiter geniculum circumvolutum fuisset, tumor magnitudine ovi largi gallinacei ichore contento plenus in parte interiore femoris vix latitudine duorum pollicum supra articulum genu juxta latus superius musculi sartorii aderat, quo tumore in parte decliviore scalpello inciso, larga quantitas ichoris tenuis & sanguinolenti effluxit.

Vulnusculum ope digestivi & emplastri spatio duarum hebdomadum vel eo circiter cicatrice fere obductum erat, sed fluxu inflammatorio parti accedente, ulcus ope turundulæ spongiosæ patefactum rursus fuit, & ulcusculum (cujus cavitas latitudine pol-

pollicis unius cum ſemiſſe juxta muſculum ſartorium ſurſum extendit) liquore deterſivo ope ſyphonis quotidie lavabatur, turundulæ ſpongioſæ linimento digeſtivo & pulvere Mercurii præcipitati rubri frequenter orificio ulcuſculi, (ſed interdiu præcipue) immittebantur, & plumaceolæ linteæ eodem digeſtivo litæ nocte imponebantur. Per idem fere tempus ad fluxum inflammatorium (cui ab origine mali pars affecta obnoxia fuiſſet) præcavendum, femur latitudine trium digitorum ſupra orificium ulcuſculi Emplaſtro Defenſivo circumvolutum fuit. Hac methodo ulcuſculum ad quatuor vel plures hebdomadas tractabatur, & tum pure melius concocto in quantitate quoque valde diminuto, turundulæ ablatæ fuere & ulcuſculum ope ligaturæ compreſſivæ circiter finem Julii ſanatum & cicatrice obductum fuit. Ægrota nullum medicamentum, niſi æthiopem mineralem in parvulis doſibus bis quotidie ſumſit, cujus uſum toto autumno ſequente continuavit. Per idem etiam tempus tibias & femora ad ulteriorem corroborationem in aqua frigida frequenter immerſit, & menſe Julio ſine ullo vitio in partibus affectis antea manifeſto fuit. Articulus tamen genu ſiniſtri, dextro paulo grandior erat; ſed ad finem usque Decembris nullum ei malum accidit, niſi ſemel in menſe Novembri a lapſu pedis ſubito in tabulatum cubiculi tibia ſiniſtra nimis protenſa, inflammatio & intumeſcentia cum dolore in exteriore parte genu ſiniſtri juxta articulum cito apparuere ad partem affectam. Spiritu vini calido lavando inflammatio cæteraque ſymptomata moleſta ſpatio ſex dierum evanuere, & nobilis puella ſola obambulare ut antea ad diem usque vigeſimum tertium Decembris perſtitit, quando ſine ullo lapſu vel alia cauſa manifeſta (uti modo narrabatur) re-

retractione tibiæ ſiniſtræ ſubito obſervata genu ejusdem tibiæ inſpiciebatur, & tumor parvus indolens, tactui cedens ejusdemque fere coloris cum cute externa in interiore parte genu & inferiorem partem rotulæ interjacens detegebatur. Aderat quoque retractio muſculorum flexorum tibiæ; tibiam flectere ſed vix extendere, digitos plantarum vere pedis vix tabulato imponere neque ſola obambulare ægrota potuit.

Remedia primo adhibita Tumori, Sp. vin. calidus, Sp. vin. Camphor. Tendines quoque muſculorum flexorum in poplite ad eorum rigiditatem præcavendam vapore aquæ calidæ madefacti poſteaque oleo lumbricorum inuncti erant. In principio menſis Januarii 1736. aliis Medicis de hocce morbo in conſultum ineuntibus tumorem in exteriore parte genu ſequenti methodo conabantur diſcutere.

Primo, Articulus affectus panno linteo quadruplicato Minderi ſpiritu calido madefacto ter quotidie circumvolutus fuit. Secundo, omnis motus tibiæ prohibitus & quies injuncta. Tertio, Æthiops mineralis bis quotidie in parvulis doſibus & ſemel in hebdomade pulveris purgantis Rhei optimi gr. x. Aquilæ Albæ gr. ij. ſumſit: hæcce methodus bimeſtri ſpatio obſervata fuit accurate, quando puſtulæ plurimæ inflammatoriæ cum dolore & intumeſcentia in anteriori parte genu affecti apparuere. Dolor & puſtulæ cito evanuere, ſed tumeſcentia ejuſdem naturæ cum tumore ſupra deſcripto infra patellam extitit, articulus quoque grandior evaſit. Currente menſe Martio ægrota tibiam rurſus movere permittebatur, articulus tum aqua frigida vice ſpiritus Minderi cum nullo levamine lavabatur, menſe Aprili aqua frigida prohibita: genu ſpiritu vini Camphorati unc. VI. ſp. ſal. arom. unc. ſs.

la-

lavatum fuit: currente menſe Majo tendines in poplite oleo palmæ vice olei lumbricorum ungebantur. Per id etiam tempus ægrota vinum millepedum bibit, ſed vix ulla in morbo mutatio. Menſe Junio articulum melius movere & tibiam paululum extendere cum difficultate, etiam ſola obambulare obſervatur ægra; tumeſcentia in genu tamen aderat.

Per id tempus ægrota ſerum lactis caprini bibit, ſed nullum medicamentum interne ſumtum aut externe niſi oleum palmæ tendinibus in poplite applicatum fuit. Initio menſis Julii urbem Moffatam in Auſtrali Scotiæ regione ſitam curriculo advecta, Aquas ibi medicinales nativo ſale Polychreſto ſcatentes trimeſtri ſpatio bibit, totum corpus ægrotæ bis in hebdomade & articulus genu affecti ſemel quotidie aqua iſta moderate calida lavabatur. Currentibus menſibus Julio & Auguſto majorem uſum articuli quotidie recuperavit, ſed menſe Septembri ad tumeſcentiam in genu (nequaquam diminutam) tollendam, genu Zythogala alumine facta ad quoſdam dies lavabatur, ſed tum, uti mihi narratum fuit, immobilitas articuli cum impotentia ambulandi tibiamque extendendi cito cæpit recrudeſcere. Menſe Octobri ob acris illius regionis tempore hyberno intemperiem ægrota domum vehebatur, ex quo tempore vix ulla in morbo alteratio, qui impræſentiarum ita ſe habet.

1. Tumor fungoſus indolens tactui cedens vix quarta parte latitudinis pollicis unius excedens ſuperficiem in exteriore parte genu ſiniſtri inferiorem rotulæ partem & externam epiphyſin tibiæ interjacens: rotula mobilis, ſed tumeſcentia ejuſdem naturæ fungoſæ obducta.

2. Tumeſcentia in interna epiphyſi tibiæ ſita.

3. Tumescentia in lateribus & anteriori parte genu sita.

4. Manifesta retractio musculorum flexorum tibiæ. Tumescentia quoque tendines illorum in Poplite interjacens, sed adhuc nullum adest signum suppurationis in poplite aut genu.

5. Tibia emaciata sed nec dolor, nec decoloratio in tibia aut genu; tibiam flectere sed neque extendere vel plantam pedis tabulato imponere potest. Nullum remedium anteriori parti genu impræsentiarum adhibetur, sed tendo flexores in poplite oleo lumbricorum quotidie unguntur. Nullum remedium internum nisi infusum Sarsaparillæ & ligni Sassafras quotidie sumit. Interdum quoque infusum Rhei optimi in V. Gallic. albo (cui infuso ab annicula aut eo circiter assueta fuisset) bibit. Reditus ad Moffat presenti vere propter aquas medicinales constituitur. Diæta ab infantia salubris & bonæ digestionis, juscula scil. Hordeacea, Avenacea, panis Triticeus & similia, non vero pisces, lac aut cibus oleaginosus, vel aromatibus conditus ægrotæ permittuntur. Potus ordinarius, cerevisia tenuis bene fermentata. Excepto supra descripto morbo nobilis puella bona valetudine fruitur, satis alacris, bene dormit, appetitus & digestio bona, excretio alvi regularis. A descriptione hujus morbi liceat quærere.

1. Morbi Diagnosin, Prognosin, & methodum medendi.

2. Numne ab extensione tibiæ impossibili linimentum Haversianum in crassitiem tendit: indeque anchylosis metuenda?

3. Numne a tumescentia epiphysios, partes externæ tegumenta scil. carnosa, membrana cellulosa, vel os affici videntur?

4. Ab

4. Ab analysi chymica aquæ Moffatæ medicinalis, numne hæc aqua ad morbum tollendum conducere videtur, & etiamsi suppuratio tumoris in genu metuenda sit, numne lavatio tumoris cum aqua ista calida suppurationem prohibebit?

R E S P.

Legi, perpendi, intellexi morbum nobilis puellæ atque inde acerbe dolui, quia morbus ille gravis & curatu difficillimus. Læsa fuit articuli fabrica genu ibi loci, ubi ligamenta, periostea, tendines, cryptæ Haversianæ fere nuda facile offendi possunt; labem impressam longe facilius retinent, sanari vix queunt unquam. Quum enim omnes hæ partes membrana cellulosa intercurrente separatæ, atque hinc lubrica mobilitate agiles inter se maneant, ita quoque si membrana hæc semel suppurata fuerit relinquit semper hinc inde sinuosa volumina, quibus detentus ichor nova semper mala facit recrudescere, dum interim quoties membrana eadem consumpta mox tendines ligamenta & cæteræ membranæ quam arctissime concrescunt inter se, mobilitatem prorsus tollunt: quo quidem casu flexores semper Extensoribus longe prævalent. Quod malum augetur magis dum simul fungosi tumores in degenerascentibus cryptis exoriuntur, ipsoque incremento partem impediunt & omnia vicina trahunt in contagium; præcipue tamen articulo jam immobili, etiam in ipsis ejus cavitatibus metuenda erit linimenti Haversiani ulterior incrassatio exitura in anchylosim immedicabilem. Moliri oportet ideo sanationem morbi dum recentior, dum ætas puerilis spem facit redendæ flexilitatis; præcipue hæc suadeo.

1. Mane & vesperi loca affecta diu & molliter perfricanda sunt pannis asperiusculis calidis, siccis spatio quadrantis horæ, cavendo ne nimis forti frictione inflammentur partes; statim a frictione hac femur & crus in directum quantum fieri potest extensa ita locanda sunt supra vaporem Aquæ calefactæ, ut halitus undique adpellat ad juncturam genu, atque lintea cera incrustata sic circum ponenda, ut coerceatur fumus calidæ ad eumdem undique articulum; id itaque continuandum ea lege semihorio rite curando, ut semper calida teneatur, ut vapor fieri queat: postquam hoc peractum, siccatæ partes rite extendendæ, flectendæque sæpe satisque fortiter quantum id sine periculo effici poterit. Postremo Emplastro A. ad alutam extenso circumdando, quod applicatum semper maneat, tantummodo tollendum mane & vesperi dum balneum vaporis adhibetur.

2. Omnia hæc commodissime fieri poterunt Aquis Moffetanis sic usurpatis.

3. Oportebit machinam construere quæ femur & crus lento gradu disponat, ut jaceant in directum, qualem quisquam facillime huic negotio idoneam excogitet; aliter enim flexo popolite diu & semper, sensim contractio in flexuram ingravescit tandemque in rigidam penitus contracturam vertitur.

4. Dum hæc ita peraguntur simul conferet largior usus herbarum B. lenissimarum ex iis quæ antiscorbuticæ appellantur, modo id a tenella ætate obtineri poterit. Atque hæc quidem ea sunt quæ adversus urgens malum opponenda arbitror: illa vero tanto sane confidentius commendo, quo eadem magis cerno affinia haberi illis quæ jam a medicis feliciter & prudenter peracta. Illis fortunatum eventum secundet Numen.

Leydæ 17 $\frac{2}{3}$ 36.

℞. Em-

A.

℞. *Emplast. de Melilot.*
Mucilagin. ana unc. j.
Galban. lectiss. drach. v.
Ol. Infus. Castor. drach. j.

M. exactissime pro Empl. ad alutam extendend.

B.

℞. *Recentiss. Agrimon.*
Beton.
Chærophyll.
Melissæ
Veronic.
Virg. Aur.
Urticæ ana q. s.

Minutissime conscissæ parentur instar potus *The*, ut inde bibat unc. ij. ter de die vacuo Ventriculo.



XLII.

Generosa Domina Vidua decentibus virtutibus ornata, quadraginta octo annorum per vitæ decursum satis sana, nisi quod aliquot retro annis colicæ Hystericæ subinde sit obnoxia. Anns fere integri proxime elapsi decursu ipsi destiterunt menses, laboriosus interim ingravescit fluor albus non sine virium dispendio; aliquot ante præteritos menses Dominam invasit dolor periodicus atrox qui adhuc durat ad os sacrum & femur dextrum comitante simul in hypogastrio cruciatu admodum dolorifico instar parturientis cum uteri pressione ad inferiora. Nullus externe apparet tumor nec in femore nec abdomine, ingens tamen vexat ardor ab osse sacro ad os Pubis. Uterus manu exploratus tumidus sentitur & durus, qui paroxysmi tempore pro-

labitur in sinum pudoris, tunc simul vulvæ latera relaxata: cessante dein dolore ad naturalem uterus redit situm. Pudendi labia cum nymphis excoriantur; cæterum continue stillat ichor subcruentus non tamen graveolens. An ab utero an a vagina vix liquet symptomatis suprarecensitis: Bis quotidie lacessitur Nobilis Domina, adoritur enim dolor circa horam nonam matutinam simul & vespertinam qui per horulam ingravescit, dein mitigatur ab Opio hora somni assumpto: durat malum in meridiem quod matutina hora invaserat. Mitto tibi, vir Celeberrime, consulendi gratia casum supra descriptum, de quo tua cogitata mihi transmittas vehementer cupio; utinam te coram frui & consulere detur. Omnia fausta tibi Discipulus olim tuus, tui Observantissimus precatur.

29. Dec. 1735.

RESP.

LÆtus accepi tuas, quoniam intelligo inde recte te valere, medicinam exercere feliciter atque mei esse memorem. Intenta cogitatione expendi literarium argumentum, neque absque dolore vidi Nobilem Dominam scirrhosi Uteri maligna sane diathesi laborare, quippe carcinomatosi quid habet. Ortus mali, locus affectus symptomata, ætas, materies rejecta nimis id confirmant; fit inde ut sensus distendentis mali perpetuum tenesmi impetum faciat, & conaminis parturientis speciem quæ urget uterum deorsum paritque cætera.

Censeo balnei Semicupii usum profore, quo depurentur emollianturque partes, & aperiantur lacunæ muco plenæ, sicque eliciatur præsens materies insessu emollientium. Ubi vero horum ope eo respectu

ſpectu melior uteri conditio, tum roborandas ejus partes puto vapore incenſi Thymiamatis A. quod pauca copia prunæ inſperſum in flammam volatilem abit, divaricatis parum femoribus excipiendum inferiore corpore dum eo determinatur per pendula veſtimenta. Interea ſemel in hebdomade, mane, jejuna bibit purgans B. una vice & veſperi hora quinta potionem ſoporatam C. uno hauſtu. Cæteris diebus hebdomadæ ſumat ter in die, vacuo ventriculo, tres pilulas D. cum uncia potionis E. frigidæ.

A.

℞. *Maſtich.*
Oliban.
Styrac.
Lap. Calamin.
Succini ana drach. v.
M. f. Pilul. pro Thymiamate.

B.

℞. *Lap. Cancr.* drach. ſs.
Hematit. gr. iij.
Rhei gr. x.
Scammonei gr. viij.
Stib. Diaphoret. gr. xvj.
M. F. Pil. tenuis.

C.

℞. *Aq. Stillat. Cinnamom.* drach. j.
Tinct. Opij gutt. x.
Spir. Nitri Dulc. gut. x.
Syr. Violar. drach. ij.
M.

D.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. ij.
Balſam. Peruv. drach. ſs.
Croci optimi gr. xv.

Galban. drach. ij.
Rhei drach. j. ſs.
Succi Cathechu dicti drach. ſs.
Terebinth. drach. ſs.
M. F. Pil. gr. iij.

F.

℞. *Aq. Stillat. Salviæ*
Menthæ
Rutæ ana unc. iv.
Spir. Menthæ
Tinct. Succini ana drach. j. ſs.
M.



XLIII.

GEneroſus quidam ſeptuagenarius equitans duo vel tria millia paſſuum dolore cum prurigine moleſta circa os ſacrum ſed imprimis ad glandem penis correptus eſt, ſuperveniente dein mingendi conatu; unde & urina copioſe evacuata eſt, ſed poſt pauca minuta talis ſed inanis ſequitur conatus cum dolore penetrantiſſimo, nec prius removente vel remittente quam movere deſierit, ſæpe quoque thrombos cum urina minxit: quandoque duas tertias partes ejus conſtituentes atque hujusmodi urinæ ſanguinolentæ unc. xii. ſimul emiſſas vidi: olim erat referta tenuibus rubellis arenulis.

RESP.

MEtuo calculum in rene, in veſica vix, licet ingratus ſenſus caput penis afficiat: ſolent quippe eadem mala produci a cruore intra veſicam coacto, nullo lapide ibidem hoſpitante. Remedium erit

erit omni bihorio diei deglutire drach. ſs. de condito A. ſemper ſuperſorbens uncias duas Apozematis B. Hæcque debent continuari religioſe per decurſum ſesquimenſis. Eodem tempore cavendum ab omni acri, calefaciente, irritante, nimisque movente. Quare & animus quoque ſedetur. Si hæc faciat, magnas ſpes eſt malum illud hiſce remediis mitificatum iri. Aſpiret Deus.

A.

℞. *Balſam. Peruvian.* drach. ſs.
Cathechu drach. j.
Mannæ Puræ unc. j.
Maſtich.
Oliban. ana drach. ij.
Pulp. Caſſiæ Recent. unc. ſs.
Succi Glycyrrh. inſpiſſat. drach. vj.
M. F. Maſſa bene permiſta,

B.

℞. *Flor. Altheæ* p. iij.
Fol. Altheæ m. ſs
Parietar. m. ij. ſs.
Rad. Glycyrrh. unc. j. ſs.
Hyperici cum tota m. ij.

Coque in Aq. fontan. per ſemihoram; dein per Pannum expreſſis lb. iij. admiſce
Sal. Prunell. drach. j.



XLIV.

DOmine, quinguageſimum jam ætatis annum implevi & fluores per biennium penitus ceſſaverunt; qui antea dum valetudine fruebar ſatis benigne & uſitate ſemper profluxerunt; ſed poſtea torrens & ardens in utero fuit dolor, qui ſtranguriam & Hæ-

& Hæmorrhodies dein mihi intulit. Membra tumefacta calida & integre sunt sicca; in lecto meo pessime habeo, unde fit ut somni dimidia horæ parte, diutius non potrahantur. Quaque septimana non pari ratione me invadit dolor; seununquam unam intermittit horam quin semper me affligat. Frequenter Medico consulto alvus purgatione citus, & missus sectione venæ sanguis. Cujus nimia diminutione Hydrops cum minimo corporis labore ventre & cruribus me minatur. Jampridem ad meas perveniens aures te artis medicinæ præclare esse peritum has tibi mitto litteras opem tuam infelici meo statui implorare. Quæ sum vestra humillima etsi ignorata serva.

RESP.

INtento consideravi animo ægritudinem quam epistola describit, atque meditatus conclusi mecum quod sanguis acer atque vergens in atrabiliarium obsidet vasa in Hypogastrio & in Pelve locata, præcipue quidem Uterum, vesicam & intestinum rectum: verendum videtur ne hic sensim tumores oriantur maligni scirrhosi sæpenumero malum habentes exitum. Qui ut caveantur mihi quidem aptissimum censetur, ut Dna mane ubi de lecto surgat, sedeat in balneo aquæ calide ita ut aqua sedentis in vase pedes, crura, femora ad Hypogastrium usque attingat; maneat in ea per semihoram, dein in calido cubiculo ante ignem vel Hypocaustum, detersæ siccate illæ partes perfricentur pannis calidis siccis ex lana. Vas id commode fit si habet longitudinem ab osse sacro ad plantas pedum; latitudinem corporis Dnæ, & altitudinem sesquipedis ita ut insidere queat femoribus & cruribus & horizonaliter

ex-

exporrectis. Interim largiter erunt interne assumenda quæ lenire queant acria humorum, resolvere spissa, & vasa expedire ab iis, quæ eadem obstruunt.

Eo conducunt quam plurimum catapotia A. si inde sumantur tria omni trihorio diei incipiendo mane hora septima, continuando in septimam vespertinam, & semper supersorbendo unc. iij. de Apozemate B. Deinde victus siccior simul ex assis, pane biscocto, pauco vino Lusitanico; & exercitia corporis præcipue commendanda.

Omnia vero hæc sesquimense in usum protrahenda prorsus puto, priusquam desiderio respondere queat eventus. Quem fortunatum velit Deus.

Leydæ 17 2/3 36.

A.

℞. *Lap. Hemat.* drach. j.
Mastich. drach. j. ss.
Opopanac. drach. j.
Rhei drach. j. ss.
Succi Glycyrrh. inspissat. drach. iij.
Terebinth. drach. ss.
M. F. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Rad. elect. Bardan.*
Chinæ
Eryng.
Sarsaparill.
Scorzoneræ ana unc. j. ss.

Fracta, scissa & contusa coque in Aq. dulc. q. s. per horam; dein adde
Rad. Elect. Fœnic.
Glycyrrh. ana unc. j. ss.

Ebulliant iterum per 7. minut. dein Decocti ℔. iv. admisce *Sal. Polychrest.* drach. ij. & exhibe.

XLVI.

XLVI.

NObilissima Domina triginta annos nata matre & avo materno scorbuticis, Parentibus aliter sat sanis orta, ingenio acerrimo, nervis delicatissimis nimis mobilibus prædita, dolorem acutissime persentit. Innumeros a Scorbuto & male affecto hepate morbos perpessa, consilium Celeb. Boerhaavii expetit. Annum agens duodecimum variolas confluentes pessimæ indolis vix superavit, posthac Bilis vomitu, dolore ventriculi, ἀπεψία ex inappetentia per annos afflicta. His vix debellatis scorbutus pessimus cum dentium vacillatione, gingivarum putredine, erosione, crurumque ulceribus fœdis invasit: qui usum Aq. Moffetensium & antiscorbuticorum fere omnium illusit. Cum de ea fere conclamatum esset, ad salivationem ope Mercurii confugitur & probo quidem eventu. Redierunt vero brevi symptomata hepatica & scorbutica.

Ineunte anno 1726. matrimonium contraxit; abortum passa multum debilitata est; gravida denuo lecto præ uteri ejusque ligamentorum doloribus acerbis affixa vix fœtum retinuit dum in utero gestaret, & post partum omne malum sedem pristinam in hepate deseruisse uterumque occupasse videbatur. Post multos a puerperio menses, e lecto eximi nequit præ doloribus uteri horrendis, cum dislocationis, ut ajebat, sensu ex debilitate; summa cum macie confecta erat. Aderat interim tumor in uteri parte sinistra digito in vaginam demisso palpabilis, qui diuturno usu Decocti & Pilularum quarumdam evanuit. Debilitas, dolor & dislocationis sensus diu restarunt: Thermas Anglicanas

nas ſine fructu adiit, longioris tamen itineris beneficio ſymptomata hæcce ſenſim evanuerunt. Exeunte autumno anni 1729. malum vetus denuo recruduit, doloribus ventriculi horrendis, in primis ſi alvus non reſponderet, diſcruciata eſt. Ineunte hyeme tumor Ovum Anſerinum mole æquans, in dextro hypochondrio eam regionem attingens ubi Jecur Pyloro incumbit ſe palpandum diſtincte præbuit; in quo nunc dolor pungens nunc gravitatis ſenſus percipiebatur: aderant ructus nidoroſi, rancidi, quos putredinem vocavit. Dolor in Pylori regione plerumque fixus manebat; inter ſcapulas haud raro & ſubinde per totius ventriculi ambitum infeſtabat, ad omnem tuſſiendi, aut plenius inſpirandi conatum male mulctabatur. Haud raro ſternum aut Diaphragma deorſum explicare tentanti reſpiratio intercipiebatur: vix ulla aderat febris, ſtomachi ægritudo nauſea vel ad vomitum propenſio. Uſu decocti & Pilularum &c. non ſolum ſymptomatum ſævities, ſed & tumor imminuebatur. Temporis favore ruſticatione exercitiis forte & ſeri lactis caprini potu menſes æſtivos & autumnales vix moleſtos habuit; in urbem reduci ingruente hyeme omnia recidivam minitabantur, ſed Prophylacticis temporius adhibitis hyemem non adeo incommodam tranſegit. Ineunte vero Februario hujus anni in Rheumatiſmum, hic tunc temporis epidemicum incidit: hujus reliquiæ cum ſcorbuto omnium forte malorum fonte conſpirantes doloribus atrocioribus crurum manuumque, in primis vero genuum & cubitorum peſſime mulctarunt. Aderant tum maculæ crurum maxime purpureæ; cum quibus tumores plerumque pertinaces nodorum majorum ritu elevabantur qui ſoli fotui antiſcorbutico cedebant. Nondum in integrum reſtituta ſpe auxilii ab acidularum aliarum.

rumve usu in primis a Cl. Boerhaavii consilio Patriæ valedixit. Menses fere inculpabiles plerumque debite satis fluxerunt. Medicamenta per tot morborum decursum ex fonte Boerhaviano maximam partem depromta usurpavit innumera, attenuantia nimirum resolventia, eliquantia, evacuantia, roborantia, Antiscorbutica, Anti isterica, Pilulas, Decocta, Infusa, Julapia, Cataplasmata, fomenta, emplastra, scuta; succos expressos, serum caprinum, Aquas nostrates Moffetenses sale Nativo Polychresto divites, Bathonienses apud Anglos, Pyrmontenses & Spadanas huc delatas, cum præscriptorum multitudine numeratim non recensenda. Forsan tamen abs re non erit. Celeberrimi Viri cum venia, ea, quorum usu ad incitas redacta sæpius revixit, indicasse. Pilulas aliquot majores bis terve in die deglutivit, ex Sapone, Myrrha, Opopanace, Balsamo Peruviano, pulvere Rhabarbari & Succini, cum oleis chemicis Menthæ & Cinnamomi confectas; quibus addebatur Aloes quoties plus detergendum erat, superbibit decoctum lignorum in quo infusa erant, semen Dauci sylvestris, Mentha cum Croco Anglicano, addito vino Hispanico & Millepedum succo. Infusum Pulveris Ipecacuanhæ vomitum optimo cum fructu movet. Elixir proprietatis cum aceto paratum cum duplo syrupi de Rhamno quantitate Tincturam purgantem constituunt.

Intentiones nobis fuere obstructa & impacta leniter solvere & eliquare, soluta abstergere, vasa Renalia cutisque spiracula patula reddere & retinere, vires denique sustentare.

RESP.

RESP.

MOrbus acri, tenui, ſcorbutico ſero ſanguinis imprimis oritur; hinc oſſibus viſceribuſque dolor fere erodens: accedit mobiliſſimi agiliſſimique corporis fabrica tenerrima, & acutæ quoque bilis efficacia, quin & arthritici quid tormenti interſpergi videtur, unde malum complicatum, ſævum, minax atque ſummam in tractante Medico prudentiam requirens.

1. Aer liber ruſticanus conducet; nimis calidus vitandus.

2. Cibi ex oleribus, fructibus horæis maturis, carne recenti, pane, lacte; potus ex aqua ſpadana æquali lacti miſta.

3. Exercitia corporis aſſidua quidem, ſed valde moderata.

4. Somnus largus valde.

5. Balnea aquæ dulcis ad pedes & crura quotidiana.

6. Bibat omni trihorio diei unc. j. ſucci A. quinquies interdum.

7. Veſperi cubitum itura, bibat unc. j. potus B.

A.

℞. *Acetoſ.* m. j.
Becabung. m. iij.
Chærophyll. m. j.
Cochlear. m. ſs.

Puris, Lectis, Tuſis exprimere ſuccum addendo ſeri lactis q. ſ. omni mane exhibeantur ſucci preſſi unc. vj.

B.

B.

℞. *Aq. Still. Cortic. Aurant.*
Cinnamom.
Citreor.
Melissæ ana unc. j.
Mivæ Cydoneorum unc. j. ſs.
Spir. Embryonis drach. jv.
Syrup. Violar. drach. vj.
Tinct. Succini gutt. x.
M.



XLVI.

FŒmina illuſtris plusquam ſexagenaria ſana vegeta dolorem nephriticum nunquam perpeſſa, a decennio jam Urinæ difficultate laborare cœpit: procedente tempore ſenſim aucta hæc δυσυρία cum dolore lancinante circa finem emictionis. Sæpe recurrit hoc malum, intervallis tamen ſat longis diſtinctum, ita ut per menſes aliquot moleſtia immunis ſæpe perſtiterit ægrota. Tandem vero præter δυσυρίαν accedebat quoque mictio ſanguinolenta, præcipue poſt deambulationem aliaque exercitia. Omnia ſenſim ingraveſcebant ſymptomata, inter quæ non minimum doloris exhibebat Teneſmus ſeu inanis deſidendi cupiditas ſimul ac urina reddita eſt. Intervalla ſanitatis breviora fiunt, ac levioribus de cauſis ingruit malum intolerabile. Quærit ægrota quibus medicamentis demulceri poſſit tam horribilis dolor, quemque potiſſimum victum inſtituere debeat.

RESP.

RESP.

EXaminatio attenta mali deſcripti facit, ut conſtet quod aſper lateat in rene calculus qui motu vel preſſu ſanguinem vaſis eliciat, fibrasque nervorum in principio ureterum faciat dolere atque continuitate harum in veſicam usque excruciet partes.

Acria, nimis replentia, humores exagitantia vitare quidem oportet quam ſolicitiſſime, mitia vero parva ſimul copia capta, ſedantia ſedulo adhibenda; potus ex recentis lactis ſero cum pauco melle pro communi optimus; cibi ex farinoſis, vegetabilibus, oleribus mitioribus, fructibus horæis prorſus maturis: Jure carnium, carne recenti, ovis, lacte ſunto.

Ex medicamentorum ſupellectile ſumat mane hora ſeptima, octava, nona, decima, ventriculo prorſus vacuo, drach. ſs. ſimul de condito A. ſuperbibens ſemper poſt quaslibet doſes unc. iij. de Liquore B. calido. Hæc quidem ea lege continuanda erunt per decurſum ſex hebdomadum ut periculum fiat, an calculus, malorum omnium ſuſpecta cauſa, minui aut molliter expelli queat, quod Deus factum velit.

A.

℞. *Croci Optim.* gr. xv.
Curcum drach. ſs.
Mannæ drach. x.
Pulp. Caſſ. drach. vj.
Rhei drach. j.
Succi Glycyrrh. inſpiſſat. drach. vj.
Terebinthin. drach. j.
M. F. Maſſa.

K ℞. *Flor.*

B.

℞. *Flor. Rec. Althea*
Sambuc. ana unc. ſs.
Fol. rec. Alth. Pariet. Scabios. ana m. .j.
Rad. Rec. Gramin. ana unc. ij.
Cum aq. decoct. per ½ hor. adde
Rad. Rec. Glycyrrh. unc. j.
Sem. contuſ. Aniſi drach. vj.
Ebulliant iterum parum, dein
lb. iv. exhibe.



XLVII.

NObilis ægra novem annos nata cujus pater adoleſcens Scrophula laboraſſet, e ſexto ætatis anno ad octavum, pruritum (parvis tantum interpoſitis intervallis medicamentis obtentis) & eruptiones cutaneas perpeſſa fuit. Hiſce tandem abactis, tumores circa collum, faciem, glandulaſque corporis, variis in locis, molles, pallidi, orti ſunt cum debilitate & inertia totius corporis. Domi ſemper fere vitam ſedentariam agit, *thè* & Cibis farinaceis maxime uſa eſt; mane præcipue & veſperi magno calore occupatur, uſque ad gradum *96.* vel aliquando centum, cum inappetentia & urina pauca, pallida, aquoſa.

RESP.

DEbita cum cura dum contemplor hiſtoriam ſatis exactam mali deſcripti, credo peccare imprimis hoc in corpuſculo Cacochymiam, vergentem in ſpiſſitatem facile coagulabilem, ad vaſa minora, præcipue ad glandulas; id docet vitium cutaneum

neum prius, mox tumores lenti, jam forte syſtema internum iisdem laborans.

Remedio erit quotidiana univerſæ cutis & fortis ſatis perfricatio, diu ſatis inſtituta, quantum ejus corpuſculum commode ferre poterit. Tum exercitatio ſedula & continuata ad ſudoris inſtantis leviſſima prænuncia, vacuo imprimis ventriculo inſtituta ante jentaculum prandium & cœnam proderit; ſomnus largior in lecto ſicciſſimo, elatiore ædium parte, meridiei expoſita, veſperi nona inchoandus. Cibus ex iis quæ modice attenuant, facile digeruntur; Cerealia, farinoſa bene fermentata; panis biſcoctus; olera tenuiora, Cichorea, Braſſica rub. Beta, Spinachia, Caro recens, aſſa alba aut elixa, cum oleraceis herbis. Potus proderit qui paratur de aqua mulſa admiſta, & quarta parte vini Albi dulcis. Deglutiat vero omni trihorio diei tres pilulas A. ſuperbibendo ſemper unc. iij. Decoct. B.

Hæc graviter proſecuta Domicella levabitur, ſub arte & auſpiciis ſapientiſſimi Medici, cui ſalus ejus commiſſa eſt. Id faxit Deus. Leydæ. 17 $\frac{29}{5}$ 37.

A.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. j.
Bulb. Ari recent. drach. j. ſs.
Croci gr. xij.
Galban.
Myrrhæ drach. j. ſs.
Sapon. Venet. drach. iij.
Terebint. drach. ſs.

B.

℞. 5 *Rad. Aperient.* ana unc. ij.
Conſciſſas contuſas coque in aqua per ſemihoram, tum adde *Sal. Abſinth.* drach. j.
Sem. IV. *calid. Min.* ana drach. ij.

Ebulliant iterum parum vaſe clauſo, dein lb. iv. exhibe.



XLVIII.

NObilis Domina annum ætatis quadrageſimum tertium agens, corporis habitus gracilioris, negotiis domeſticis exercitata, ſecunda fruebatur valetudine; donec ante elapſos quinque annos cum eſſet gravida, febre continua violenta eſt correpta, quæ calidiore regimine fuit tractata, tamen poſt aliquod tempùs convaluit: poſtea partu difficili enixa eſt fœtum; tempore partus dolore excruciabatur fere intolerabili in dextro abdominis latere juxta oſſis Ilei regionem qui, fœtu in lucem edito, ſtatim evaneſcebat. Diebus a parto elapſis duobus, totali urinæ ſupreſſione fuit correpta, quam excepit febris continua, præcedente paulo mitior; ab hoc tempore abdomen intumeſcere deprehendebat, graviditatem adeo mentiens, ut artis obſtetricandi peritiſſimi conſulti gravidam eſſe pronunciare non dubitaverint; ſed temporis diuturnitas intumeſcentiam morboſam demonſtrans, ſuaſu Medicorum rus petens lacte veſcebatur: ſed intumeſcentia in dies augebatur omniaque in pejus ruebant.

Tandem abdomen mirum in modum undique æquabiliter tumefactum eſt & durities jam quædam ſub coſtis inferioribus dextris tactu ſe prodit. Cl. Boerh. conſilium humillime petit: &c.

RESP.

RESP.

OMNI re rite examinata atque perpensa, censeo malum quo Matrona laborat esse duplex; in abdomine vel in omento, aut in crepidine jecoris inferiore scirrhosa est durities; & aquæ præterea in vesica collectio, ut videtur. Utrumque pertinax & arduum curatu in corpore hujus ætatis & matre tot enixa liberos.

Ad sanationem requiritur sustineantur vires, materies fundatur & ut fusa per alvi imprimis vias educatur. Hæc efficiantur frictione abdominis ante focum diuturna, & tam forti quam corpus ferre queat; inunctione deinde frictione adjuta; tum usu medicaminum præscriptorum quotidiano, ea tamen lege, ut quam prudentissime observetur an forte materies soluta incipiat moveri, quod nausea, vomitus, tormina alvi, diarrhœa, anxietas docet, tum enim opus erit minus urgere, donec iterum motus requiescat, quando denique instandum erit, eadem rursus methodo.

Faxit Deus, his restitui valetudinem in integrum.

Leydæ. 17 $\frac{5}{6}$ 36.

A.

℞. *Ol. Stillat. Junip.* gutt. vj.
Pil. Rufi drach. ij.
Sal. Polychrest.
Tartar. Vitriolat. ana drach. ss.
Terebinth. gr. vj.
M. F. Pil. gr. v.

Capiat iij. hora septima matutina, hora octava & sesqui octava, superbibens vasculum *Theanum* mixturæ sequentis,

B.

℞. *Aq. Stillat. Junip.* lb. j.
Rob. Junip. unc. iij.
Spir. Junip. unc. ij.
Tinct. Myrrhæ unc. j. ſs.
M.

C.

℞. *Ungent. Arthanit.*
Martial.
Nervin. ana unc. ſs.

M. E. Linimentum, quo inungatur abdomen bis de die ante ſocum, & poſtea tegatur molli aluta.



XLIX.

JUvenis generoſus annum agens vigeſimum tertium præteriti anni menſe Auguſto, tenuis cereviſiæ ampullam æſtuans epotabat & vix duobus vel tribus diebus elapſis confuſio totum corpus occupabat, dejectio ſpirituum & vertigo cerebri perpetua; ægritudo ſtomachi valde diſturbati venti ructatione ſecuta per duodecim horas ſimul manere ſolet ſine intervallo; præterea ſtomachus laborat tumore. Juvenis pro horum malorum remediis applicuit ſe Medico qui pro hyſterico morbo captans, vomitorium & guttulas hiſtericas præſcripſit. Ægritudo ut putabat paululum diminuta eſt, ſed ructatio venti & ſpirituum dejectio remanſerunt. Alvus admodum aſtricta eſt. Juvenis eſt pulchræ & floridæ craſis, paululum vero emaciatus. Olim ſanitate perpetua fruebatur, ſed ægritudo qua nunc laborat negotio vel ſocietati imparem reddit. Tua Præſcripta & Regimina hujus juvenis gratia, Medice Celeberrime, maxime deſiderata ſunt.

RESP.

R E S P.

ÆStuans dum frigidam tanta bibit copia fecit ut sanguis circa latissima præcordiorum vasa subito frigefactus coiverit, hinc impeditis jam visceribus atque obstructis omnia mala quæ tam difficulter iterum sanari queunt. Oportet uti victu molliore ex jure carnium, oleribus culinariis lenioribus, fructibus horæis bene maturis, farinosis cerealibus, cerevisia tenui. Abdomen quotidie & mane diu fortiter perfricandum pannis asperis, calidis, siccis, exercendum ambulatione, equitatione, vectione corpus; quo plus, eo melius.

Somno autem liberius indulgendum erit. Interea utendum medicamentis quæ blande solvunt atque attenuant, neque tamen nimium exagitant sanguinem.

Cui quidem proposito consultum velim, ut sumat ter in die vacuo ventriculo hora nempe ante jentaculum prandium & cœnam tres Pilulas A. semper superbibendo unc. iv. Decocti B. atque ea quidem omnia continuet sex hebdomadis spe levaminis quod opto.

Leydæ 17$\frac{3}{8}$39.

A. ℞. *Borac.* drach. j.
Croci gr. vj.
Curcumæ drach. j.
Rhei drach. j. ss.
Sap. Ven. drach. v.
Terebinth. gr. xij.
M. F. Pilul. sing. gr. iij.

B.

℞. *Rad. Anonid.*
Bardan.
Eryngij.
Fœnic.
Gramin. ana unc. ij.
Sal. Absinth. drach. j.
Cum Aq. decoct. ſpatio ſem. horæ lb. iv. admiſce *Syrup.* v. *Rad. aperient.* ana unc. ij.



L.

VIR DOCTISSIME

SEntentia veſtra in ſubſequente avide exoptatur ubi rem quam ample ut mihi repræſentatur manibus veſtris transmitto. Anno 1731. Virgo tenera annos agens viginti ab equo cecidit in os temporale ſiniſtrum; inde contuſio magna, (nullum autem vulnus ſequebatur) cum dolore acuto & perpetuo. Paucis exinde diebus Medicus accerſitus V. S. peracta emeticum & catharticum propinavit, Epispaſticum vertici, & cucurbitulas humeris applicavit. Nullum autem doloris levamen ſequebatur. Tres poſt menſes alter Medicus fotum & linimentum loco dolenti adhibuit, nullum ſucceſſit levamen. Cucurbitulis rurſus applicatis dolorem pro tribus vel quatuor menſibus divertebant. Aſſumto frigore cum Tuſſi rediit dolor fixus in eodem loco.

Aquæ Bathonienſes epotæ cum pilulis fœtidis pro tempore relevabant, & rediens dolor cum frigore fere ſemper cucurbitulis cedebat pro paucis ſeptimanis.

Menſe majo proxime præterito aquæ calidæ Thermales in partem exantlatæ, ſpongia interpoſita, dolorem

lorem aggravabant; V. S. autem in jugulari & pede cum pilulis prædictis pacem pro quinque mensibus dedit. Dolor cum hyeme reversus miseram huc usque adeo cruciavit ut nullo fere somno, nisi a sumptis opiatis, indulgeat. Pulvis Sternutatorius mercurialis naribus assumtus salivam maxime movebat, nullo autem succedente levamine. Tempori affecto incumbens dolorem auget; nullum apparet inflammationis signum, neque dolor minuitur aut augetur a tactu vel pressione. Dolor fixus est in parte qua sutura Coronalis desinit & sese extendit usque ad aurem, unde suspicor causam esse in membranis nervosis suturas percurrentibus, sed judicio vestro potius submitto. Tui cultor observantissimus ad rogos usque.

RESP.

FAcit consideratio morbi credam metuamque simul ne vis illata ossi effecerit ut Tabula vitrea cranii in loco læso, in festucam introrsum elata fuerit. Vereor inde fixum acutum internum dolorem non acerbescere ad pressionem extrinsecus applicatam, sed intendi fortiter ab omni causa, quæ contenta cranio fortius huic acuto fragmentulo applicat; si hoc verum non sane mirum videtur quod contumax malum rebelle pugnet adversus optima medicamenta, solis tantum abducentibus a cerebro leniendum. Hinc etiam vix aliud medelæ invenio quam si plenitudo & impetus a capite deorsum verti possit. Id excitatio Hæmorrhoidum forte optime efficeret. Pediluvia quotidiana vespertine instituat, partes siccatas fricet, emplastra A plantis pedum apposita gerat noctes diesque, tempore balnei tantum ponenda; sumat mane jejuna pilulas tres B.

In-

Indat alvo quotidie semel glandem C. oleo illitam. Hæc continuet mensis spatio in spem salutis quam Deus det! Vale memor nostri.

Leydæ 17 7/5 37.

A.

℞. *Emplast. Oxycroc.*
Galban. ana q. s.

Ut extensa ad alutam dent Emplastra ad pedes.

B.

℞. *Boracis* drach. j.
Aloes puriss. drach. j. ss.
Myriscæ drach. j.
Terebinth. gr. iij.
M. F. Pilulæ. gr. iij.

C.

℞. *Aloes* drach. j.
Mell. ad crassitiem cocti drach. iij.
Sapon Venet. drach. ij.
M. f. s. a. Suppositoria gr. vj.



LI.

NObilis Domina, boni habitus, eximiæ staturæ & optimæ temperiei, insigni temperantia & vita omni modo bene acta clarissima, fœcunda fuit & Geminorum Mater, felix tamen semper puerpera, semper sanissima, nisi quod cum alvum, (uti sanissimis accidit) obstructam habuit excreta dura & rotunda fuerint: ex diuturnis valde constipationibus in Ileum bis vel ter, nisi purgantibus liberata, fere incidisset.

Ineunte vere hujus anni Nob. Dna sexagesimum tertium suæ ætatis tum agens annum, primo ventris inferioris repletionis & distentionis sensu laborare

rare incipiebat, & tum quidem pro primo tempore urinæ quantitatem minui obſervabat, ſed ne alios perturbaret, hæc nova ſupprimebat, & ad finem Martii iter quadraginta miliarium duobus diebus equo perfecit & vix quinque requieverat dies quin aliud ſed brevius iter fecit: at nunc morbus adeo urgebat, ut invitis gemitibus Maritus primo noctu detexerit illam (extra omnem fidem patientiſſimam) ægrotare. Conqueſta eſt de immani dolore ad dextram abdominis partem, a coſtis brevibus ad os usque innominatum iſtius lateris; dolor autem hicce a lecto augebatur & adeo intenſus erat, præſertim circa ſpinam oſſis Ilei, ut ne vel minimum tactum ferre poſſet; interim autem intumuit abdomen, urina qnoque in minori reddita fuit quantitate; quæ excernebatur craſſa erat cum ſedimento contrito rubro lateri ſimili, eodem tempore pulſum inæqualem & depreſſum habuit & ſpirituum ſuppreſſione maxime laborabat. Hæc omnia per tres vel quatuor ſæviebant dies, & iterum menſe Aprili ad ſuam rediit domum, ubi paucis diebus, iisdem iterum ſed auctis afflicta eſt ſymptomatis; ſed hiſce nunc accedebant, nauſea, ad vomendum conatus, Cardialgia & ἀνορεξία quæ in primo paroxysmo non adfuere. Viceſimo ſexto Aprilis iterum talem novum ſed adhuc ſæviorem habuit paroxysmum, tum vero imprimis ſpiritus animales afficiebantur, qui adeo ſuppreſſi erant, ut nulli fere videbantur: ſed & nauſea & dolor quoque augebantur, & quod omnino notandum eſt, dolor ab abdominis dextra parte mutabat ſedem, & dextrum occupare videbatur femur, ſed cito ad priſtinum reverſus eſt locum.

Medicamenta ultimo hoc ſtadio exhibita fuere 1. Lene emeticum & poſtea alternis vicibus doſes

binæ

binæ *Tinctura Hieræ Picræ* cum *Bhabarbaro* in solutionem Saponis cum *Tinctura Croci*; & inde melius se habuit, unde postea pilulas saponaceas cum vino medicato præscripsere Medici.

Hæc prægressorum est historia, sic vero nunc se habet. Quam maxime extenuatum est corpus totum adeo ut licet naturaliter sit macilenta tamen nunc tantum est quasi sceleton prioris corporis. Abdomen tumidum valde & ad minimum quasi lib. vj. vel viij. continet aquæ, quæ labitur ad illud latus in quod recumbit, & manibus tractando facile est percipere serum ibi in magna satis quantitate esse collectum, vix in latus dextrum recumbere potest & ne vel minimum digiti attactum ad illam partem ventris inferioris ossi Ileo proximam ferre potest. Nocte tument pedes, nullum prorsus habet appetitum nec digestionem; parum valde vel non omnino dormit, semper constipatam habet alvum, nisi adhibeatur remedium utcunque catharticum, uti *Tinctura Hieræ Picræ* cum *Rhabarbaro*, quo cum Euphoria purgatur nisi cum paroxysmo laborat, & tum nil prorsus agunt cathartica, unde ex prægressis metuunt Medici aliquam in Intestinis concretionem, cum antea ex suppressa alvo periculum incurrebat Ilei. Metuunt quoque ne dextrum Ovarium vel ipse uterus sint affecta (ex dolentibus partibus vicinis) sed an hæc ita sint nec ne scire cupiunt; vel an systema, uti metuunt, Lymphaticum sit labefactatum. Restat ut moneamus quod accuratissima instituta indagine, totum systema Hepaticum sanum videatur; nullam neque sitim (hoc tempore) vel febrem habet; urina in satis magna quantitate nunc excernitur & coloris straminei, cum levi surfuraceo sedimento. Conveniunt inter se Medici, quod dum adveniat

con-

consilium Celeberrimi Boerhaavii sequenti modo tractetur.

1. Singulis noctibus partitis vicibus capiat *Rhabarbari* gr. xv. masticando.

2. Mane & post meridiem sumat Pilulas ex *Sapone Veneto* Nuce Moschata & *Cardamom. min.* cum vino Diuretico amaro.

3. Omni tertio mane capiat *Tincturam Hieræ Picræ* cum *Rhabarbaro* ac bis vel ter alvum moveat.

4. Frictionibus cum Equitatione utatur vel in Rheda vehatur.

Ægra ipsa putat se morituram, imprimis vero vel cum Pater ejus Ascite mortuus est.

RESP.

MOerens evolvi historiam tristis mali quocum Nobilissima conflictatur Matrona; dolui quippe sapientum consilia sperato usque carere eventu: Diffido absens peregrinusque adferre meliora. Parendi necessitate meditatus, quæ scribam hæc habeo. Fere metuo radicem mali fixam in Cæco & Colo suo quo ex Ilii cavo dextro dura semper recrementa sustinuere neque absque ingenti molimine olim sursum enixa fuerunt. An hinc forte coacta dilatata attrita hic susceperunt schirrosi quid quod jam in malignum vergat? sane ratio malorum, atque apparitionum successiva vicissitudo, haud prorsus repugnare forsan videretur. Utique talia huic loco infesta videre memini quibus Alvus segnior, duriora scybala, vel & malo more diu voluntarie suppressa fuerat. Quin & toties tum turbatum Renem in officio atque fistulas laticis impeditas humores aquosos alvo ingerere videram; Rei ambiguum præsentes Medici facile internoscent. Ætas, Natura, ipse mor-

morbus supra usque victor & crescens intentant metum, urgent circumspectionem ad præsens efficax tutumque remedium.

In Deliberationem mitti posse creditur, an non proferret pro potu communi uti sero lactis recenti cocto cum melle ad gratum saporem, quo lente mollirentur viscera, liquescerent duræ fæces? Victus utilis ex oleraceis lenissime cientibus alvum, Beta, Cichoreum, Endivia, Lactucæ cocta cum recenti carnium jure & recenti butyro: fructus horæi penitus maturi, cremor lactis recens, sæpe sed parca simul copia interdiu. Carnes autem recentes elixæ potissimum ut & pisces fluviatiles elixi. Clysmata ex decoctis Althææ cum melle, unciarum modo sex singula quaque die injicienda & quamdiu commode fieri queat retinenda suadeo.

Omni trihorio diei tria de Catapotiis A. deglutiri possunt semper bibendo desuper uncias duas liquoris B. incipiendo hora matutina septima usque in vespertinam septimam. Si his mitescit malum, ut tactum ferat, tum abdomen quidem totum at potissimum locum affectum, mane & vesperi, vacuo ventriculo leniter diuque pannis calidis, siccis perfricandum suadeo. Ita quidem ut quotidie per gradus frictio intendatur remittaturve ut dolor concedit.

Interea vero molle generosum vinum quale Canarinum, Hispanicum, Malvaticum sæpe parca copia præbendum puto quo animetur vita.

Utinam hæcce aut rectiora sapientioribus depromta salutem præstent meritissimæ Dominæ.

Leydæ 17 $\frac{23}{6}$ 34.

A.

℞. *Gumm. Amm.* drach. ij.
Sal. Polychrest. drach. j.

Sap.

Sap. Venet. drach. iij.
Succi Inspissat. Glycyrrh. drach. ij.
Tartar. Vitriolat.
Terebinth. ana drach. ſs.
M. F. Pilulæ. gr. iv.

B. ℞. *Becabung.*
Chærophyll.
Endiviæ
Fumariæ
Graminis
Nasturtii Aquatic. omnium recentiſſ.
ana unc. jv.

Minutim ſciſſa, tuſa terantur in Pultem. Dein prælo per pannum Canabinum exprimatur ſuccus quam fortiſſime. Cui ſi opus addatur ſeri lactis ea copia ut quotidie exhibeantur Liquoris unc. xj.



LII.

NObilis Domina quinquaginta quatuor aut circiter annos nata, habitu corporis macilento prædita, languida admodum & valetudinaria, a quindecim retro annis variis hyſtericis affectibus, aſthmati, tuſſi catarrhali a minimo ſaltem percepto frigore, lymphæ etiam viſcidæ nunc crudæ, nunc coctæ expectorationi diuturniori; febri quoque hecticæ ex levi qualibet occaſione recurrenti, appetitui proſtato, alliſque Phthiſin pulmonalem minitantibus ſymptomatibus obnoxia eſt. Hæc præterea conſtipata alvo, vitam degit maxime ſedentariam. Equitationem in aere ſalubri frequentiorem ſæpius præſcriptam abhorrens.

In prædictorum ſymptomatum ſublevationem cathartica leniora tertia vel quarta quoque menſe pro

re

re nata repetenda, imo & ipsum ventriculum granis aliquot pulv. rad. Ipecacuan. cum infusione *flor. chamæmel.* expurgandum suasi & *Pilulas balsamicas a Clariss. Mortono* in Phthisi scrophulosa laudatas præscripsi, superbibendo aquas Bristolienses, & pro Febris hecticæ sævitia majore *Tinturam Cort. Peruv.* cum herbis pectoralibus in aqua Fontana repetitis decoctionibus pptam. aquarum prædictarum loco substituendam curavi. Pro urgentia pariter asthmatis in Paroxysmo & pro tussis nimia ferocia & vigiliis inde sequentibus, aut sanguinis missionem cum cautela idonea celebrandam, aut paregoricum lenius pro re nata, præsertim nona vespertina præscripsi. Diætam quoque lacteam, vernali præcipue tempore imperavi; ut carnibus majori saltem copia vescatur inhibui, imo ut ab iisdem religiose prorsus abstineat, horis præsertim vespertinis, diligenter præcepi. Hilarem animum, exercitia Equitationis aut in Rheda vectionis frequentia, in aere rustico aprico & salubri; immunitatem a negotiis & curis rei familiaris, artuum etiam & extremorum frictiones, pediluvia, vinumque vetus & purum Gallicum cum aqua Bristol. commixtum pro potu in pastu, dum carnibus vescatur, injunxi. Amygdalinam pariter emulsionem cum Hordei decocto, Ptisanam pectoralem, lac cum aqua Bristol. commixtum, serum lactis & alia hujus modi pro potu ordinario extra pastum, pro arbitrio haurienda, lubens concessi. Ad tussim etiam demulcendam usum *Trochiscorum Balsamic. Pharmacop. Quincy*, superbibendo haustum decoct. Pectoral. alicujus appropriati, de tempore in tempus, variationis gratia, probavi. Cæterum in casu hoc chronico & difficili consilium expertissimi & eruditiss. Domini Doctoris *Boerhaavii* summopere necessarium judico, cujus sa-

ſaluberrimis Præceptis morbus prædictus ſi radicaliter curari non poſſit, ſymptomata inde ſaltem reddentur mitiora, vitaque ægrotantis non ſolum ſuavior, ſed & ſymptomatum ſævitiam præcavendo, longe protractior evadet.

RESP.

EXaminavi rem, concinna morbi hiſtoria comprehenſam; deinde vero dictavit mihi veri amor, ſcriberem in morbo dignoſcendo tractandoque eam artis Medicæ peritiam adhibitam fuiſſe, ut ſane quod corrigerem nihil, quod adderem parum admodum haberem: laudo acta, facienda propoſita approbo, nec ultra adderem, niſi id efflagitari cernerem. Crediderim feliciter profore ſi Nobilis ægra velit periclitari quid boni factura ſit hæc Methodus.

Mane bihorio priusquam ſurgat, bibat jejuna unc. iv. lactis miſtas cum unc. vj. Aq. Spadanæ, de Fonte Pouhon dicto: idem repetat veſpere hora ſexta, continuet menſis ſpatio: ſumat calide vel frigide pro habitu.

His peractis prius, dein ſumat omni trihorio diei tres Pilul. A. ſuperſorbens unc. iij. liquoris B. infuſi & hanc deinceps curationem, altero iterum menſe, proſequatur. Cæterum in victu ſuadeo, ut jam a Medico factum: utinam trimeſtri hoc id boni contingat, quod in tali caſu pulchre profuiſſe novi.

Leydæ 17 $\frac{19}{5}$ 35.

A.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. ij.
Balsam. Peruv. gutt. vj.
Croci gr. x.
Sapon. Venet. drach. iv.
Succi Liquorit. inspissat. drach. ſs.
Terebinth. drach. ſs.
M. f. Pil. gr. iij.

B.

℞. *Recentiss. Agrimon.*
Betonic.
Chærophill.
Fœnicul.
Hyssop.
Hederæ Terrestr. ana M. $\frac{1}{4}$

Minutim scissa, mista infunde instar Potus *The* cum aqua ut sint liquoris pro usu quotidiano unc. xv.

Cum duo sequentes (quos Cl. Boerhaavius in Nosocomio Leidensi tractavit) ad Chronicorum Classem pertineant, visum est Librario illos huc adjicere.



KA-

ΚΑΧΕΞΙΑ.

Die Saturni, Septembris vicesimo primo, 1737.

VIdetis Senem huncce 66. annorum, qui hic jacet Καχεξία laborans.

Ineunte ætate Miles gregarius ſtipendia meruit, poſtea in filis lanæ ducendis vitam egit. Morbis acutis obnoxius, febrique tertiana Epidemica olim fuit vexatus, poſteaque delapſus eſt in Cacochymiam, exinde & in Hydropem materiem Leucophlegmaticam continentem; de quibus & olim utcumque liberatus fuit. Temperies pro viro debilis eſt in atrabiliariam quodam modo vergens. Debilitas quoque ſenectute & præeunte Hydrope aucta eſt: veruntamen paululum adhuc ſupereſt vigoris. Corporis autem ſitus malum dat ſignum: Dorſo enim incumbens denotat quod corpori magna inſit debilitas. Appetitus valde proſtratus eſt, & ventriculi Inteſtinorumque fibræ tam debiles ſunt, ut (quemadmodum in Lienteria) omnia per os ingeſta illico per alvum ejiciuntur immutata. Sitis ſatis magna & potus non citius in os hauſtus quam per anum fluit. Hinc ratio patet cur Hydrops non auctus ſit, & venter haud ita tumeat. Syntaxis Chylopoetica & Bilis, nimis ſunt debilia; iners enim bilis & laxæ ſunt fibræ. Pulſus exiguus, ſed ſatis æqualis. Reſpiratio ſatis commoda, & inter dormiendum libera & ſatis lenta, ſine ſtrepitu. Lingua ſicca, glabra, polita, nullus in ore adeſt fœtor. Calor moderatus ad extrema usque. Alvi fœces fœtent. Urina minus colorata, ſed non putrida; concuſſa, veluti iners ſaponaceum liquidum, ſpumam retinet; nulla inſunt innatantia; nullum

emittit fœtorem . Sputum fœtorem , uti videtis , dat nullum ; nullum pus , nullam biliosam materiem continet ; sed album , sed crassum est & iners. Hinc patet quod hoc sputum excreatum nihil sit , nisi inertis Pulmonis collectio : quia pulmo ad exantlandam hanc materiem toties exagitatus & defessus, ita labefactatur debilitaturque ut ad excreandum jam impos sit ; hinc colligitur in pulmone materies , ibi retenta coquitur & incrassatur , donec tandem hac materia ita gravatur pulmo ut tota thoracis vis ad hanc excreandam necessaria prorsus sit . Functiones Animales adhuc satis constant ; nisi quod ad musculorum motum tardior sit & impos. Habetis jam AA. quicquid ad indicationem vitalem spectat . Cibus sit ex pane biscocto , carne assa recente , aromate condita ; usu vini interpellato . Pauperibus autem cerealia siccissima , coctum hordeum cum aqua cocta sufficiunt . Pro potu nullus meliorem edit virtutem quam Mumma Brunsvicena . Si vero in re lauta esset æger , Austerum vinum Græcum adhiberi potuit & Miva Cydoniorum &c. Ex stimulantibus petuntur remedia ut ex aromatibus . Curatio therapeuticis , blandis , purgantibus efficitur , illamque Tussis irritationem opiatis mitigando ; solida tandem roborando , humores corrigendo : quæ omnia sequentibus obtineri possunt .

PURGANS.

℞. *Rhei* gr. xj.
Scammon. gr. iv.
Lap. Cancror. scrup. j.
Syrup. Rosar. Solutiv. drach. ij.
Contritis accuratissime admisce
Aquæ still. Sambuc. unc. j. ss.
F. Haustus purgans, sumendus cras hora sexta.

SO-

SOPIENS.

℞. *Aq. ſtillat. Cortic. Aurant.*
Meliſs. ana unc. j.
Aq. ſtomach. drach. ſs.
Opii puriſs. gr. j.
M. ſumat x. horas poſt acceptum purgans.

CONFORTANS.

℞. *Cortic. Cinnamom.* unc. ſs.
Winteran. drach. ij.
Radic. Helenij
Imperator. ana drach. vj.
Semin. Angelic.
Cardamom. Min. ana drach. v.
Cum tribus pintis Vin. alb. Gall. F. Vinum Medicatum. Die lunæ bibat quater unc. j.

Die Mercurii 25. Videtis ſymptomata jam meliora evaſiſſe, vires meliores, lingua colore melior, magisque humida. Somnus tuſſi minus impeditus; appetitus aliquantulum melior; Urina jam minus, ſed diutius quam in ſanitate ſpumam retinet. Phlegma quod altera lectione album, craſſum & iners erat, hoc tempore nonnihil fluidius evaſit. Tuſſis oritur ex materia craſſa cryptulis pulmonum debilioribus effluente. Calor toto corpore æqualis. Diarrhœa ſeu Lienteria adhucdum manet quæ potibus calefacientibus & narcoticis erit adjuvanda. Ventriculus admodum debilis eſt, hinc emplaſtro roborandus. In eadem ac priore Curatione Diætetica manendum.

℞. *Empl. Oxycroc.* q. ſ.
ad alutam extenſ. F. Scutum
Stomacho ilico applicandum.

℞. *Aq. ſtillat. Fœnicul.*
Menthæ ana unc. ij.
Syr. Pap. alb. unc. j.
Opij puri gr. iij.

M. ut ſumat $\frac{7}{5}$ Partem omni veſperi hora ſeptima.

Septemb. 28. Videtis ad minimum motum defeſſum eſſe, & inſtar cadaveris jacere. Ultima vice duo erant maxime notanda ſymptomata, debilitas ingens nimirum & Lienteria. Inſtauranda erant ſolida, & prohibenda putredo. Utebatur remediis ſed exinde prius ſe habuit; nam nudius tertius videbatur eſſe defecturus. Præſcripſi ergo aliquid, ſcil.

℞. *Aq. ſtillat. Menth.* unc. v.
Lapid. Cancror. drach. iij.
Laudan. puri gr. iij.
M. omni bihorio, cochl. j.

Ut poſſit paulo plus ſiſti alvus, intra 30. horas alvum non depoſuit. Vires paulo firmiores. Medicamenta vomitu rejecit. Nil in Diagnoſi mutatur niſi quod ſumma ſit in Inteſtinis laxitas. Poſt ſumtum Opium melius ſe habuit; ſed jam de vertigine conqueritur quod ſymptoma ab Opio provenit, qui quidem opii effectus vix præcaveri poteſt.

℞. *Ol. ſtillat. Cortic. Aurant.* gutt. vj.
Sacchar. drach. ſ.

M. f. ſ. a. Elæo-ſaccharum, cui admiſce
Maſtiches, *Thuris* ana drach. j.
Succi Acaciæ inſpiſſat. drach. iij.
Tartar. puriſſ. drach. j.
Conſerv. Roſar. rubr. unc. ſss
Syrup. Myrtin. q. ſ.

Ut

Ut fiat Conditum, sumat drach. ſs. omni trihorio cum cochl. j. sequentis.

℞. *Aq. ſtillat. Fœnicul.* unc. v.
Opii puri gr. iij.
M. pro vehiculo.

Octobr. 2. In nuperrimo consilio fuit conclusum eo debilitatis reduci ventriculum, ut vim medicamentorum fere non potuerit, simul ac enim deglutita sunt, vomitu rejecerit: hoc adhuc perstat. Deprehendo hoc tempore pulsum valde debilem; alvi fluxus jam minor. Puto in priore Diagnosi persistendum esse. Tentaturi sumus an vinum vel aromata aliquid boni efficere possint. Sumemus itaque Aquam Stomachicam.

℞. *Aq. Stomach.*
Spir. Matricar. Burrhi ana unc. ſs.
M. Capiat. gutt. xxx. quater de die cum Vini Gallici albi unc. j.

Gratissimum est hoc remedium simulque corroborans.

Octobr. 5. Ultimo consilio dictum fuit ægrum omnia per vomitum rejecisse; hinc colligebatur virium summa debillitas ac metus ne sub senili Atrophia succumberet. Pulsus adhuc vix sentiri potest; hinc patet quod nec cibo nec potu reficiantur humores, ut repleant vasa. Tussis quodammodo est amplior, liberior; Lienteria restrictior, vomitus minor; sed non multum superest virium. Persistendum erit in nuper præscriptis; & Emp. Stomach. gerat. Quando frigus autumnale supervenerit, debilior multo evadet, Lienteria pejor erit, sicque ad plures migrabit. Hoc ab initio mihi visum est.

Octobr. 9. Functiones Naturales hoc tempore melius quam olim se habent & longe facilius ventriculus ingesta fert & concoquit, 24. horarum

ſpatio tantum bis alvum depoſuit ; ſignum quod ventriculus & inteſtina vires recuperarint paulo majores. Motus muſcularis paulo inſtauratur; reſpiratio ſatis commoda: ſine molimine tuſſis; olim admodum debilitans ; calor per totum corpus ad pedes usque ſatis æqualis . Pulſus tam debilis ut veſtram mereatur explorationem, qui parvam ſanguinis denotat copiam hinc & vires proportionatas ; tanta enim deeſt copia ut ſublevare poſſet arterias. Hinc manet adhuc eadem Diagnoſis quod nondum roborantur vires vitales. Prognoſis eſt, quod quamdiu a ſenectute, a cacochymia, & a cachexia debilitatur, vires, niſi novi regenerentur humores, appetente hyeme collapſuræ fuerint; bonis itaque cibis vires reficiendæ ſunt quæ parva ſimul copia ingerendæ ſunt, aliter concoquere nequiret. Quandoquidem autem tam parva ſit in arteriis ſanguinis copia, metuendum ne defecturum ſit liquidum nervoſum. Hocce malum, impendentis mortis ſignum, magnopere obſervant Medici: ab hoc enim provenit quod oculi evadant ſordidi, pulverulenti; tale autem ſignum nondum ſe manifeſtavit, ſenſus conſtat. Pervigilium multum compeſcitur. Ultimo conſilio indicationes erant, vias primas roborare, Epigaſtrium Emp. Stomachic. fovere, victu concoctu facile uti, vinum quo infunditur Aq. quædam Stil. Atom. bibere. Ex quibus hoc tempore ſe melius habet. Iteretur ultima mixtura eundem in uſum.

Octobr. 12. Admodum eſt in hoc homine mirandum; omnia fere ſymptomata urgentia compeſcuntur, grate appetit, digerit, detinetque tamdiu donec concoquitur materies. Natura tandem & arte ſuperata ſunt omnia moleſta ſymptomata. Princeps fuit Tuſſis, hæc autem abeſt. Tuſſis erat tantummodo ab inerti materie pulmonem præ nimia de-

debilitate ad expectorandum eliminandumque jam impotem redditum infarciente. Sanguinis autem vitalis actio tam debilis ut vix sentiri possit; si respiret vix increscit; si manum in pugnum colligat (quod fere semper sanguinis velocitatem accelerare solitum est) vix sentitur. Hinc omnia excepto sanguinis circuitu emendantur. Otium vero quo plurimum gaudet Æger in causa est quare sanguinis circuitus haud augeatur. Si hic in re lauta fuisset, corpus in rheda vel equo foret leni motu excitandum & conquassandum. Cum autem res angusta domi sit, equitationi frictionem substituturi sumus. Ex lana igitur rudiore, calida, sicca, perfricentur ventriculi & intestinorum Regiones. Dixit Hippocrates, partem quam nutrire vis moveto. Motus enim calorem producit; nutrimentum vero ad istas partes attrahit calor; sed ad hæc omnia valet frictio, ergo instituenda est. Somno frui debet pleniore, potum meracissimum & generosum vinum bibat. Tempestas miro modo serena calorque lecti omnia restituit. Debemus ergo in iisdem continuare. Lingua olim rubra, polita, sicca; hoc autem tempore humida, suisque papillis eminens & turgens.

Octobr. 16 Heri decumbentem vidi hunc ægrum & sanguinem arteriis reddi inveni. Olim vix potui pulsum sentire, hodie autem utcumque fortis est. Respiratio bona: haud magna quantitate sputum. Calor naturalis bonus est & æqualis. Linguæ abest glabrities, & aliquid sibi humiditatis conciliavit. Urina paulo plus in colorem stramineum vergens, signum quod vires sint jam majores. Hinc summa exhaustus licet debilitate tamen miro modo restituitur. Omnia enim pessima symptomata jam superata sunt, viz. Lienteria, virium prostatio &c. Ex memorata hactenus Diagnosi Prognosis promittit

tan-

tantas recuperatum iri vires quantæ in corpore senectute & morbis sævis tam fracto expectari queant; nam quod de integro rejuvenescat & vires in totum recuperet spes superest nulla, præsertim cum anni tempestas votis obstet. Repetatur igitur ultima mixtura eundem in usum.

Octobr. 19. Æger multo melius valet; functiones omnes majores vires jam recuperarunt; hinc in eisdem continuandum.

Octobr. 26. Altero die pejus se habuit, hinc si conglaciatio fiat, mutabitur ægri status. Hoc tempore indicatio est, corpus contra frigus muniendum esse. Per quænam igitur remedia? ubi nulla inest sitis vel æstus vel febris, aut alcali putridum, nihil melius antiscorbuticis applicatur. Hinc

℞. *Vin. Gall. Alb.* unc. iij.
Elixir. Proprietat. drach. ij.
Spir. Carminat. Sylv.
Cochlear. ana unc. ss.
M.

capiat, vacuo ventriculo, ter in die, hora nempe ante Jentaculum, prandium & cœnam cochl. j.

Octobr. 30. In hoc corpore senili sanitatem haud possumus sperare meliorem: bene appetit, commode digerit. Si quæritis, dicit se optime valere. Videtis profecto in hoc ægro exemplum virium medicamentorum: omnia enim symptomata jam superavimus.

Novembris 6. Hicce homo præscripta tantum ter quaterve sumsit & satis bene se habuit, quamdiu serena & calida mansit tempestas; tantummodo fuit curandum ut contra frigus se muniret; sed jam relabitur. Satis videtur multum profuturum esse quod præscriptum fuit; sed oleum & operam per-

perdimus. Debetis jam Auditores notare vires tempestatum in nostra corpora, monente summo nostro Hippocrate; præcipue enim se manifestant in corporibus senio & morbis prægressis confectis. Si gelu jam duret intra paucos dies ad plures migrabit æger. Bona diæta, cardiaca & leniter movens proderit, nimis autem excitantia non conveniunt, augent enim tussim; nec nimis humectantia, quoniam olim hydrope laborabat; hinc lenia tantum exhibenda sunt.

℞. *Aq. menth.* unc. jv.
Sp. Carminat. Sylv. unc. j.
Syrup. Papav. Alb. unc. ij.
Tinct. Croci
Succin. ana. dr. j.

Hoc remedium tantum proderit leniter stimulando & tussim compescendo.

Post tres dies placide expiravit Æger.

PA-

PARALYSIS.

SEptembr. 28. 1737. Homo Leydensis 61. annorum, temperie laudabili, tota vita vix ullum passus morbum incidebat elapso anno, mense Septembri, omnium primo sine ulla manifesta caussa prægressa in dolorem atrocissimum, constantem, in musculis crurum & femorum. Hoc malum ad motum muscularem promovendum omnino impotem reddidit, increvitque perpetuo, donec circiter 15. vel 14. dies post mali initium incidebat in febrem acutam. Ita debilitabantur mentis vires & corporis, ut musculi tarsum, metatarsum & crura moventes, ad omnes motus impotes evaserint. Partes ad motum valde dolent & sub genua tam frigidæ sunt, ac in cadavere. Partes superiores adhuc dum vegetæ sunt. Ante septem hebdomadas in ἀναισθησίαν loci incidebat. Alvus adhuc sentit & monet; urinam vero nescius reddit. Latus dextrum motu caret & sensu totumque frigidum. Ingens circa os sacrum ad lumborum regionem exsurrexit tumor. Quodnam autem huic malo erit nomen imponendum? certe Paralysis; i. e. Musculorum motus impotentia. Observant Medici Practici, Paralysin vel ex solo motus muscularis defectu oriri; & tunc Nervorum Paralysin vocitabant: vel ex sensus defectu, tunc majorem Nervorum Paralysin: & tertio, quando calor deest, hanc dicunt esse Paralysin Conclamatam. In hoc ultimo statu arteriæ sanguinem non accipiunt, nec transmittunt, & tunc ut plurimum hydrops. Diagnosis est quod sit Paralisis completissima triplex cum tumore œdematoso propter humorum defectum. Vitium erat in nervis, ex nervis in mu-

scu-

sculos; ex musculis in arterias ivit. Quænam autem causa sensus aboliti? summus dolor prægressus. Docuerunt Medici (ut jamjam dixi) Paralysin a summo dolore prægresso conclamatam esse. Quid est dolor? est vel tensio nervorum vel dilaceratio quædam; hæc est ejus summus gradus. Hinc una vel altera ex hisce causis misero huic homini accidit. Morbus jam ascendit, sic ut musculus urinæ fluxum coercens paralyticus sit; quod sane tristissimum est. Hoc enim significat quod causa jam ascendit in medullam spinalem sursum, quod a solo contuso osse sacro accidit: metuendum ne altius ascendat. Tumor se manifestat; sed Paralysis superveniens designat omnes nervos per inferiora esse obstructos: hinc huic homini dolor sentitur similis isti dolori qui homini sedenti ex compresso nervo accidit. Cætera in hoc homine bene se habent, color, linguæ humiditas, pulsus, perspiratio, omnia bona: appetitus quoque bonus. Concludo igitur quod morbus in hoc respectu fere habendus sit pro affectu infimarum partium Ischiatico. Diagnosis ex originis & progressus modo nil boni promittit, magnum vero malum designat: En miserrimum hujus senis statum!

Prognosis. Metuendum est ex omnibus quod sensim medulla spinalis labefactata erit, & quod fiet tandem in ipso capite Parapoplexia ubi arteriæ nil vitale accipiunt, ubi venæ nil ad cor trasmittunt, metuendum quoque est ne tumori gangræna, partibus inferioribus νέκρωσις inducatur.

Indicatio. Vires vitales sunt instaurandæ quantum possimus, hinc sæpe sed paululum simul bibat: omni bihorio vel trihorio aliquid sumat parca vero quantitate, ne istæ partes chyli adventu nimia quantitate obruantur, materiei transmittendæ

impo-

mpotes. An hic convenient frictiones? minime; quia nimis movendo istas partes, quibus materia ob sanguinis circuitus defectum stagnat, putredinem accelerarem. Optimum erit hoc in casu putredini adversissima sumere & quæ motum non faciunt, ut sal, vinum & omnia ex vino parata. Huic quoque scopo optime respondent acida, & omnium maxime acetum. Sic si muria & acetum & vinum ad partes istas applices, putredinem optime arceas. Quid vero erit interne applicandum? an replentia? minime; molem enim augebunt. An stimulantia? nequaquam. Ex prædictis diætæ ratio constat: nihil melius est quam omni bihorio levem cibum & potum dare, ut prius videamus si humores isti quid aliud indicent.

℞. *Aq. Stillat. Rorismarin.* lb. ij.
Acet. Sambuc. unc. iv.
Spir. Theriacal. unc. ij.
Sal. Ammon. drach. ij.

M. Pro fomento cum pannis ab infimo pede ad medium crus applicand.

℞. *Aq. stillat. Fœnicul.* lb. j.
Rob. Sambuc. unc. ij.
Spir. Sal. marin. drach. ſs.
Cochlear. drach. j.
M.

Sumat Cochl. unum omni bihorio.

Octobris 2. Ad infimas partes adhuc quodammodo superest sensus, ascendendo autem acutior. Crus sinistrum cadaveris instar riget. Tumor adest œdematosus. Duo potissimum urgent symptomata. Est extumescentia præternaturalis; alterum est excoriatio & inflammatio quæ futuram notant Gangrænam. Esto sane horrendus hicce circa vertebras & os sacrum tumor, si movere posset corpus & ejus

ejus ſitum mutare, multum ſpei foret; ſed dum ſemper dorſo incumbit, vaſorum orietur ſuffocatio, ex ſuffocatione inflammatio, & ex inflammatione excoriatio. Nuperrime ex hypotheſi credebam quod mirus iſte tumor commercium forte haberet cum medulla ſpinali, quod notat Paralyſin ſuperfuturam. Tumor tactui ſatis mollis eſt. Credibilis opinio eſt impeditum nervei fluidi tranſitum in cauſa eſſe. Quæritur an aperiendus ſit hicce tumor? an maturandus? minime: nam conſtitit experimentis quod ſi tales tumores aperiantur, moriantur ægri: hoc docet ſpina bifida: & ſi adeo excreſcant ut mox rumpantur, aqua pura exit & mors ſequitur: ſi vero maturentur, accelerabitur putredo. Puto ex hiſce manere nuper datas indicationes viz. ut ſyſtema nervoſum leniter foveamus, & ab impendente gangræna defendamus. Nuper præſcriptorum effectus fuit quod haud pejor ſit morbus. Quid vero ad triſte ſymptoma? nullum ſane erit remedium ſi corpus in iſto ſitu maneat: ſi vero illæ partes per aliquod tempus eſſent a compreſſione liberæ, vaſa ſe expanderent & ſpes foret major quod ſe brevi quodammodo reſtituerent. Quod proximum eſt Emplaſtrum Diapomphol. applicabimus & ceruſſa partes inſpergemus ad inflammationem tollendam: pulcherrimos ſane effectus ſæpiſſime inde vidi. Nulla fomenta liquida jam applicari debent, quia partes excoriantur. Therma quoque artificiale erit applicandum. Iteretur die ſaturni præſcriptum interne ſumend.

℞. *Empl. Diapomphol.* unc. ij.
Exhibe.

℞. *Ceruſſ. pur.* drach. jv.
Lithargyr. tenuiſſ. trit. drach. ij.
M. F. pulvis impalpabilis.

Octo-

Octobris 5. Valde æqualis eſt calor, quod mirum eſt; nullæ adſunt bullæ. Tantum certo medicamentis profecimus, quod a putrefactione ſpontanea partem defendamus. Metus vero præcipue urget ne ſtagnatio humorum fiat. Color vero adhuc nullum corrupti ſignum præ ſe fert. Epidermis ſi bullatim extumeſceret, tunc putreſcet & gangreneſcet pars. Senſus haud admodum acutus. Dolor adeſt talis qualis iſtis hominibus, quibus crus amputatum eſt; illis adhucdum ſentitur dolor quaſi in pedum digitis. Antea plumbeum erat frigus, nunc calor naturalis per totum eſt, bono certe ſigno. Muſculi lumbis & oſſibus innominatis ligati adhucdum crus movent. Tumor nullo modo minor, ſed ingens revera. In primo conſilio mali cauſam altius hærere fuit ſuſpectum. Dolor ſummus adeſt, quia Perioſtium acutiſſime ſentit & in iſtis partibus nihil habet tegumenti: Hinc preſſio vaſorum vivorum contra iſtud os; hinc ſuffocatio & inflammatio, & hinc tandem Gangræna ſequeretur. Tumor alter certe ſatis notat materiei collectionem ad oſſis ſacri ligamenta oriri. An ſtillicidium fiat a Theca Medullæ ſpinalis, incertum. Quid ad Diagnoſin ſpectat? an mutanda eſt præcedens, quæ Paralyſin & inferiorum ἀναισθησίαν indicabat? certe adhuc manet, inferiora a ſtagnante humore & viribus vitæ iſtius partibus deficientibus in Gangrænam reſolutum iri. Non profecimus adeo ut futuram reſtitutionem promittamus. Haud mutanda eſt hæc Diagnoſis. Indicatio deſignavit bonum victum & potum, non admodum ſucculentum, ſed roborantem, nec magna, ſed pauca copia, ut nutrimenti aliquid vitæ ſuppeditet, quod bonum effectum præſtet. Paralyſi in ſenili corpore & lento exiſtente, an nervos fortiter movere Medici eſt? aut frictiones adhibere? Nonnulli

nulli sic sentiunt. Ego certe longe aliter censeo. Ubi gelu adstrinxit crus, si moverit Medicus partem, Gangræna citissime accedet. Tantum bonum alimentum adhibere oportet, ubi res suppeditat. Quid faciendum ad excoriationem, quæ magnum infert dolorem? si efficere possim ut omni die cingulis coriaceis pro bihorio suspenderetur sic ut libertas vasis daretur nec comprimerentur, hoc optimum foret; sed homini tali modo suspenso accidit, ut pectus tam stricte arctaretur ut suffocatus fere mortuus fuerit; idcirco ab hoc abstineo. Ergo curavi factum esse Pulvinar orbiculare, stramine turgidum, & in annulum coriaceum compactum, ut in medio cavitas sit; sic ut sustinendo circum circa partes, tumorem a compressu liberum teneat; repetantur ultima præscripta.

Octobris. 9. Vidistis nuper ægri conditionem, quod morbo laboret Paralytico ab abdomine ad digitos usque pedum. Motus quem facit ut vidistis, a musculis ossis femoris, non ab iis qui pedem movent perficitur; movetur enim crus & trahitur pes: Hinc minus gnari falli possint. Diagnosis & Prognosis hodie confirmatur, nihil subiit mutationis. Functiones Animales & Vitales exceptis istis locis bonæ. Metus vero ne partes istæ compressæ sensu & motu carentes, gangrænescant; hinc antiseptica applicata fuerunt. Crura & pedes inflantur (quod unicum symptoma novum est) a mira enim contusione suffocantur humores, hinc gangræna oritur. In istis locis nihil fere est nisi Tendo Achillis. Hinc nil nisi nervosum. Unicæ tantum causæ debetur, quod in uno corporis situ nimis diu manserit; si enim in latus vel in dorsum decumbat quisquam nimis diu, gangræna laborarent hæ partes. Tumor in lumbis major est. Morbus ad lumbos melius se habet;

bet ; & ſi ventri incumbere poſſet, liberarentur iſtæ partes ; ſed nunquam id poſſumus efficere ob incommodam ſic reſpirationem . Prognoſis eſt ſi in eodem corporis ſitu maneat, perget malum ; & cum nihil vitale in iſtis partibus ſuperſit, aſcendet gangræna . Quonam igitur utendum remedio ? ſitus mutandus eſt. En exemplum ; homo cui crus fractum eſt 6. vel 7. ſeptimanis in lecto cubare debet : ſi Chirurgus non curet , ut moveat corpus, partes compreſſæ gangreneſcerent . Hic omni bihorio in latus eſt invertendus , & tunc ſanatur . Partes autem inferiores æqualiter ſuſtinendæ ſunt , ut omnes ſimul partes quantum potuerit , æque premantur . Tunc Emplaſtrum Diapompholigos & iſta abſorbentia applicentur . Hoc itaque tempore nervos leniter movere tentemus , ut humores quam leniſſime ad iſtas partes derivemus .

℞. *Gummi. Ammoniac.* drach. j.
Aſæ fœtid. gr. xv.
Galban.
Myrrh. ana drach. ij. ſs.
Terebinth. gr. xij.
M. f. Pil. gr. iij. ſingul.

Sumat iij. quarta quaque hora diei, ſuperſorbendo unc. iij. ſeq. Decoct.

℞. *Lign. ſantal. rubr.*
Saſſafras ana unc. j. ſs.
Glycyrrhiz. un. j.

Ebulliant vaſe clauſo $\frac{1}{4}$ hor. decoct. lib. iij. exhibe .

Intelligitis hoc remedium : ſumpſimus nervis & muſculis amiciſſima gummi, & aromatica illa facile ferenda , leniſſime ſuſcitandi ſcopo . Audemus hoc facere quod jam didicimus quid corpus hocce pati poſſit .

Octo-

Octobris 12. Utimo consilio omnia ut in antecedentibus deprehendimus: ergo molestus haud ero. Incesserat novum symptoma quod pars calcis exterior a simplici compressione in gangrænam esset conversa. Summus erat metus ne Gragræna per totum crus se dispergat; quia non sentiebant partes hinc compressæ, emoriuntur. Cavendum erat ne partes ab aere siccæ fiant & ut a putredine arceantur. Empl. Diapomp. effectus quam insignes præstitit. Nam si cautum non fuisset, omnes partes occupasset Gangræna; si in iisdem possit continuare; credo se melius habiturum. Os sacrum credo sanatum iri si situm mutare pergat; sed tumor ille magnus potius crescit quam decrescit. Diagnosis Paralysis eadem restat: sed in aliquibus pedis digitis parvus adhuc superest motus.

Octobris 16. In iisdem prorsus insistendum erit, & faciendum ut sæpe movere pergat, arcenda quoque omni ope putredo. Sed omnia de plumbo præparata putredini quam maxime resistunt; Cerussa &c. partes hoc tempore valde siccæ, apparent: Hinc aliquid humidum erit applicandum. Actiones Vitales, Naturales & Animales bene constant. Ultimorum Medicamentorum effectus est, quod non in pejorem statum delapsus sit æger. Fuit enim timendum admodum, ne magis truculenter sæviret gangræna. In usu istorum leniter excitantium & putredini resistentium medicamentorum hoc tempore pergendum.

℞. *Gumm. Ammon.* drach. j.
Asæ Fœtid. drach. ß.
Galban. drach. j. ß.
Camph. gr. x.
Castor. gr. xv.

Croci gr. xv.
Terebinth. drach. ſs.
M. f. Pil. gr. iij. ut omni trihorio capiat. ij, cum unc. ſs. Fot. ſeq.

℞. *Aq. ſtillat. Roſmarin.* unc. x.
Sp. Sal. Ammoniac. drach. ij.
Syr. Diacod. unc. j. ſs.
Sacchar. Satur. gr. v.
M. pro Lavamento.

Inter medicamenta interna oculis ſe ſe offert *Gummi Ammoniacum* quod ſummum celebratur antiſcepticum; nec ſua vi antiſeptica minus pollet *Galbanum*: addidi & *Camphoræ* pauxillum quæ ad eandem quoque Claſſem pertinet. *Caſtor* vero pro nervis additur; quando autem tam parva quantitate præſcriptiones Medicorum ingreditur, tum ſuperaddi ſolet *ſal. ammoniac.*

Octobris 19. Tumor lateris ſiniſtri ſatis adhuc ingens, dextri vero parvus. Semper conqueritur æger de dolore ad partem ſuperiorem. Symptoma hocce vobis ante explicui ab exemplo hominis cui Crus amputatur. Credo quod parum ſit ſenſus in hacce parte. In ſura ſiniſtra ſtigma parvum cerno quod grangrænam minitatur. Motus nervorum qui ſub genua ponuntur parvus admodum adhuc ſupereſt, unde apparet quod medicamenta ab illo quodammodo ferri poſſint. Cæterum alia omnia in hoc miſero ſunt ſatis commoda: iners vero pondus crucis ſupra calcem facit ut parum ſeparetur Eſchara, Eſchara vero compreſſa gangræneſcet. Quidnam igitur remedii erit addendum? Partes debent relevari ſicque ſeparatio conciliari & ἀσειλα. Omne hoc atrox malum pendet a ſanguine tranſire impotente & nervis compreſſis. Gangræna utcunque nondum ulterius procedit. Fœtor & putredo

tredo absunt, & tantum mors partium venit a compressione, quoad præscripta nil est mutandum.

Octobris 23. Vita hujus miseri jam retrolabitur; id docet aspectus & corporis habitus. Ad loca gangrænosa major quam antea siccitas. Ægro quoque huic ante duos dies accessit intestinorum resolutio; nam ut urina olim, sic nunc quoque fæces inscio defluunt. Talibus interim usus est remediis fortioribus multo quam ego præscripsisse ausus fuerim. Hæcce huic clam allata sunt uti apud homines hosce consuevit, ab hisce sumptis aucta est gangræna, deterior Diagnosis, & pejor multo ipse morbus. Unica jam spes superest in partes a compressione liberas tenendo, cujus sane modum vix invenire possum. Si hoc efficere possim, spes aliqua adhuc foret: nullus enim fœtor sed tantum necrosis apparet. Emplastra præscribebam ex oleo, plumbo &c. ad emolliendum nimirum & separandum: sed incassum. Omnibus indicationibus & intentionibus obstat conditio & morbi locus. Præscribam jam aliquid, quod vires refocillet & paulo fortiores reddat.

℞. *Aq. Stillat. Menth.* ℔. ij.
Spirit. Vit. Matth. unc. j.
Tinct. Lign. Saffafr. drach. vj.
Aq. Cephalic. unc. j. ſs.

M. Capiat omni sesquihor. cochleare j.

Octobris 26. Cernitis qua ratione (multa licet oblata fuerint) corruptio se manifestet. Ad supremas corporis partes nihil Hydropis apparet. Convulsiones quoque jam accesserunt, quæ grangrænæ omnino debentur. Gangræna uti scitis est a siccitate sine inflammatione ad margines, sine quoque ulla suppuratione. In tali casu procul habendæ sunt vulgares regulæ ubi emollientia applicantur: Corrum-

peretur enim Œdema & omnia putrescerent. Partes hæ a putredine arcendæ sunt eo modo qui ex primis indicationibus patebat. Ad lumbos profunde valde se insinuat Eschara nigra & corruptionis manifesta præ se fert vestigia. Hinc contra putredinem adhuc quid addendum foret. Myrrha pulverisata pauca copia, cum Basilico mixta, vires antisepticas præbet optimas. Quæritur an scarificandæ sunt partes ad talum & calcem? sed vix ulla ibi est substantia. Si nulla esset gangræna, melius foret suppurationem tentare. An circumambiendæ sint partes Cataplasmate? Cum humoribus ita turgent vasa, metus est ne in suppurationem vergant partes. Tantum curandum est ut Escharæ teneantur quam mollissime, & in hoc propositum Unguentum Basilicum, Aureum vel Populeum addi debet. Ad superiora magnam videtis esse mutationem, longe enim profundior ivit Eschara ad Vertebrarum etiam interstitia. In tali casu magno cum successu exhibetur Myrrha vel Aloe cum spiritu vini mixta. Videbitis quod balsamica hæcce in forma solida effectus edent longe pulchriores quam soluta, licet bene novi quod alii haud ita sentiant. Pro internis ultimo præscripta repetantur.

Octobris 30. A putrescente Urina (quam inscius reddit & quæ mora acris evaserat) penis inflammatus est; metus est ne gangræna quoque partem occupet. Ultima præscripta pulchrum præstitere effectum: nigredo enim jam abit & humescit Eschara. Alvi fœces nescius adhuc dimittit quando movetur. In calcis vero Eschara siccitas summa apparet; nulla huic inest humiditas, ibidem tamen non pergit gangræna quod medicamentis unice debemus. Sæpe hactenus repetita amplius non repetam. Indicationes intelligitis, intelligitis quoque reme-

remedia. Ab illa una causa (motus nempe muscularis inopia) omnia hæcce mala tam gravia procedunt. Crusta jam profundior significat malum inter ossa insinuatum iri. Hocque provenit a decubitu supra dorsum; ibi enim loci tum fit suffocatio & retunditur introrsum necrosis, quod maxime metuendum est.

Diagnosis. Gangræna jam minor est & partes quæ antea siccissimæ erant jam humidi quid ostendunt: Nostis hoc esse bonum signum, manifestat enim quod vita adhuc sit superstes. Olim rugæ & nigredo apparebant, tumque antiseptica erant applicata.

Quænam autem est ratio tumoris genitalium? videtis enim penis & scroti tegumenta valde intumuisse. Membrana nimirum Cellulosa urgetur urinæ acrimonia, venæ quoque comprimuntur; hinc totus penis in tumorem elatus est & urinæ acrimonia inflammatus. In præputio apparet Epiphymosis. Cl. *Ruyschius* nos docuit in suis præparatis quod si per leve vulnusculum in cute, immittas tubulum & infles, totus penis scrotumque vento extumescent. Non vero hæc est Epiphysema, sed ab acrimonia urinæ Epiphymosis. Partes hæ sunt tenerrimæ & ad crepaturam usque facile distenduntur.

Indicatio ergo est, ut avertatur gangræna: sed quomodo? erosionem impediendo: sed urinæ fluxum impedire nequimus; hoc ergo tantum agendum restat, ut unguento Nutrito & Populeo cum Cerussa pars inungatur, ut locus hisce lenitus ab Urina arceatur, quæ cum oleo se non miscet. Plumbum addidi quia urinæ spicula domat. Non applicanda sunt emplastra, quia perspiratio impediretur & suffocaretur pars.

℞. *Unguent. Nutrit.*
Popul. ana unc. j.
Cerufs. Subtilifs. drach. ij.
M. Pro Linimento.

Novemb. 1. Efchara in calce manet valde ficca, nihil enim ibi loci motus datur. Cætera omnia ut ante fe habent. Certus fum fi per quatriduum liberum poffem tenere hocce corpus ita ut fieret perfpiratio, melius fe habiturum effe: Hoc unicum jam reftat remedium, a quo morbi, id eft gangrænæ vim per aliquod certum tempus retardare poffimus.

In iisdem præfcriptis tam internis quam externis perfiftendum eft; non enim novi meliora.

Novembris 6. Videtis jam Auditores, quantum per paucos hofce dies gangræna graffata fit, afcendit enim ad partes fuperiores quæ omnes motu carent, ut os, oculi: folum vivunt Cor & pulmo. Hinc colligi incipit in pulmone fanguis quod ad Cor nimirum finiftrum tranfire nequit. Brevi morietur fuffocatus; nam illud pauxillum quod reftat fanguinis in venis, a Corde jam palpitante fuppletur.

DE

DE ENTEROCELE.

QUod gratiſſimis honorare me litteris voluiſti gaudeo, nec diffiteor ſuave admodum mihi fuiſſe teſtimonium amicitiæ repetitum in ultima hac epiſtola. Quamvis enim ſatis norim mea merita erga te magni non eſſe momenti, neque præter ſummum bene faciendi conatum aliquid habere eximii, tamen graviſſimi viri amor tanto oblectamento mihi eſt ut nollem clarius tibi notam tenuitatem meorum benefactorum, ne honorata carerem benevolentia.

Magno porro cum gaudio intelligo Principem Sabaudam filio nato matrem feliciter factam. Celſiſſimæ familiæ cedant omnia ex animi voto, dum ſecura tuæ in medicina ſapientiæ vitam committit & ſalutem.

Utinam vero fauſtis æque præſagiis ſtudere poſſes ſanandæ puellæ nobili cujus accurate enarratam miſiſti hiſtoriam! Eſt quidem caſus ille ex his qui faſtidioſi plus ſatis laboris medico, parum tamen læti ſufficiant ſucceſſus. Et certe tanto mihi infelicior exitus prævidetur, quanto magis conſidero ortum ex nativa laxitate, & biennio jam ſeniorem morbum. Scis enim ipſe expertus vix aliquid ſpei in adultis, poſtquam eo usque jam dilatatus ſinus, ut tam profunde dimittat inteſtina.

Cæterum iis quæ adhibes addendum melius quod ſit nihil habere me confiteor. Tentabam olim, non absque conſilio diu librato & ſucceſſu hanc viam.

Mittatur cruor ad ℥viij. ex brachio. Purgetur tribus

Epiſtola hæc, & ſequentes ad eundem ſcriptæ ſunt Medicum.

bus sequentibus diebus successivis cum rheo & myrobalanis in hac forma:

℞. Rhei ʒj. Mirobalani citrini sine nucleis ℥j; infund. cum aq. spatio noctis; mane ℥iij. exhibe.

Tum iterum secta vena reddat ℥vj. sanguinis, & rursum repetantur purgationes ut prius. Denique tertia & ultima vice detrahantur sanguini ℥vj. & postremo purgatio ter repetatur tribus diebus.

Toto hoc decursu supinæ locum alchool fotum pressu bene defendant ab exitu, & a dilatatione. Utatur carne assa, cum pane biscocto & vino rubro austero, a reliquis abstinens.

Ubi his humores evacuati, partesque constrictæ, adhuc per septimanas iv. vel v. situ, pressu, fotu, locum affectum juvet, victum eundem continuet, & vino medicato utatur, quod sic habet.

℞. Cort. radic. cappar. granator. tamarisc. peruvian. a. ℥ij. fol. querc. ʒij. fl. granator. ʒj. cum vini ℔. iij. coq. S. A. in phial. altiss. vitrea methodo nostra spatio xxiv. horarum, sumat quater quotidie divisis rite temporibus ℥iss.

Hæc summa curatio, qua irrita nihil juvet. Neque chirurgicam operationem facile suaserim. Scis ejus incommoda, & interim quod multæ mulieres huic malo obnoxiæ conjugii labores ferant.

Vale, & si quid curatum velis per me, audax impera; nam lætus tibi invigilabo. Lugd. Bat. 2. Novembris 1714.

DE

DE REGIMINE PUERORUM, lactentium, & nutricum.

QUod de meis bene ſentire, loqui, & ſcribere dedignatus non fueris, eo dudum me tibi devinctum reddidiſti: jam vero tuorum erga me meritorum pretium augere viſum mihi eſt, poſtquam honorificam non modo memoriam mei teſtari, ſed & donis me honorare voluiſti. Pro omnibus his gratias ago, & charam habebo omnem opportunitatem qua aliquid efficere queam tibi gratum quod ſiet.

1. Infanti recens nato ſoleo dare illico mellis ℥j. in ℥ij. vini albi, prohibere dein ſpatio vj. horarum ab omni cibo, potuque, ut purgetur ventriculus a materia lenta quæ adeſſe ſolet.

2. Jubeo ut nutrix primis 20. diebus utatur tenuiore victu, & potu dilutiore, nec ubera præbeat niſi trihorio, vel quatrihorio, poſt cibum, potumque captum, quo omnis cruditas correcta bene ſit. Si vera acidi excedentis manifeſtiſſima ſigna, tum jura carnis dilutiora præbenda curo: ſi vero abſunt hæc, lac præferendum aliis cenſeo. Inveni quippe per eventum panem aqua incoctum plus adhuc quam lac aceſcere.

3. Cæterum ſummum remedium quod unquam exploratum habeo, & optimum deprehendi ad cavendos, curandosque morbos pueris proprios, hoc eſt. ℞. ſapon. venet. ℨij. margarit. ppt. ℨj. lapid. cancr. ℨiſs. aq. ſtillat. menth. fœnicul. cert. citr. a ℥iij; bibat unciæ $\frac{1}{4}$ ter ſpatio nycthemeri, diviſis æqualiter temporibus. Hoc medicamen tam miro ſucceſſu ſe commendat ut incurrerem jactantiæ crimen, ſi ut res habet eloquerer. Ideo etiam ſo-

ſoleo illud tegere, ne cogniti abuſus contingat vel vileſcat dignitas; duo quippe hæc medicus cavere debet.

Et equidem ſi paucis his jungere velis ea quæ elapſo anno coram dixi in collegio, habebis ea quæ ego in his vera novi, puderet enim me ſi ſapienti faſtidium crearem inani ſcripturæ diſpendio, & agnovi eas in te ſapientiæ medicæ dotes quas non ſatis ſuſpicerem, ſi vel verbulum ſupervacaneum adderem.

Unum hoc patiaris, ſubnectam, me omni officio promptum tibi revera eſſe. Vale. Lugd. Bat. 1714.



DE REGIMINE
Lactentium & Nutricum.

GRatiſſimæ fuerunt mihi litteræ quas xvij. Februarii Viennæ ad me dediſti: namque gaudebam ex iis cognoſcere tuam quæ cara mihi habetur valetudinem, ſimulque intelligere artis noſtræ qua præſtas excellentiam. Quare credas velim ſemper me & honori deputare, & beneficio, quoties amicis compellationibus me decorare placuerit.

Cernis ſponte nihil opis ferri poſſe contra prolapſum uteri. Id unum auxilii datur, ut ſequi velit quod rite propoſuiſti. Cæterum pertinax hoc malum, maxime ubi juveni acciderit, ut pote ortum ex ingenti partium laxamento. Neque graviditati oberit ipſa ligamenti preſſio: nam os matricis ſemper ſurſum intra corpus attollitur a conceptu, unde & eo tempore minor erit metus prolapſus. Idcirco crediderim mala quæ metuere videris non exoritura eſſe gravidæ; imo vero ubi attolletur & in globum expandetur uterus, ſpero ne peſſario quoque opus fore: poſtquam deinde enixa

erit

erit fœtum, tum certe puerperæ necesse erit summa quiete, ut laxatis maxime genitalibus uterus haud excidat.

De arte qua tractasti principem sincere dixero nec sapientius agi, nec felicius evenire potuisse, prorsus ut nihil omnino possim scribere, quod aliter ex lege artis actum oportuerat, sive cautelam spectem in seligenda nutrice, sive in ea regenda, sive ad curam infantis animum adverterim. Neque miror principem fœminam commendasse aliena, & insultasse consiliis; nam semper facile est acquiescere consuetudini, durum novis fidere. Ideo magis de triumpho gratulor, quia felici successu comprobasti methodum.

Censeo quoque pergendum in solo usu lactis nutricis, donec dentes anteriores tam in superiore quam inferiore maxilla prodierint, quando panis fermentatus triticeus, cum lacte calido potius contritus, quam diu concoctus, exhiberi potest tuto, aut & idem juri carnium infusus.

Nunquam vidi male cedere infanti si nutricis bene sanæ lacte utitur, licet menstrua patiatur, sæpe autem observavi mutationem nutricis plurimum attulisse damni.

Quare consultissime factum a te puto; neque etiam crediderim crustulas, & ulcuscula hinc orta, sed ex virtute virium hac via, ut & per furunculos, se liberantium a lentiore parte lymphæ, quod semper optime cedit, nec remedia arcentia requirit. Etenim nec nocet, & sponte superabitur bene, hoc quidquid mali est. Optandum foret modo ut alacriori exercitio suum exercitaret corpus nutrix, delassationem quidem fugiens, sed & ignaviam evitans, quæ hebetat: quare putem eam aliquot septimanis ante suscipiendum iter, sensim debere assuescere feren-

rendæ vectioni; quod commode fiet, si quotidie una cum puero principe Carpento (Carosse) vehitur, per gradus paulatim hoc genus exercitii assuescendo; aliter insueta omnino suspecta; sed hac cautela adhibita, proderit utrique & iter & aer. Toto vero tempore quod itineri dabitur, oportet ut semper antequam rhedam ingrediatur nutrix paulo plus solito bibat, ut & infantulo ante hunc motum conducet semper aliquantulum prius potasse de lacte nutricis. Vale, & optata me porro amicitia honorare pergito. Lugd. Bat. 1715.



DE REGIMINE
Puerperarum, & hysterica affectione succedente.

QUas 28. Julii ex Korteles ad me dedisti, eas accepi demum 14. Augusti. Gratæ fuerunt, quia a te venerunt, & quia referebant Principem puerum prospere valere, qui ut porro artis tuæ beneficio felix adolescat, opto!

Historiam mali cum quo conflictatur Princeps Domina cum cura expendi, ut & illa omnia quæ illi illustrandæ sollicite dedisti: unde persuasum habeo mihi eo usque constitisse de hisce rebus, ut de iis utcumque judicium ferre ausim.

Tempore graviditatis ita curavisti omnia, ut nihil emendatius effici potuisse liberrime profitear.

Utinam vero puerpera iisdem gavisa fuisset consiliis potius quam adversis omnino ipsius saluti auxiliis usa! sane melius ipsi consultum fuisset, neque malis foret obnoxia quibus jam tenetur. Recens enixis sola quies remedio; quo citior eo salubrior; nihil ipsis vigiliis calamitosius his accidit; ut evitentur hæ, illa autem ut concilietur, tota ars occu-

cupatur: somnum vero irritamentis arcere dementia mihi videtur, eaque perniciosissima, & damnanda pariter periculosa exhalatio partium volatilium: quin Hippocrates ipse talia damnat, ut omnino noxia capiti, cujus tamen morbi omnium maxime puerperis metuendi, ut pote fatales aphorismo xxviij. sect. v.

Denique fere exitiale putem ambustæ camphoræ fuliginem acerrimam ingerere miseris his, quibus a nulla re gravius hocce tempore periculum imminet, quam nimia uteri læsi hæmorrhagia, cui excitandæ nihil est hoc remedio valentius; prorsus ut mirer unde obtinere potuerit ea opinio in aulis. Sane si ausu maligno obesse mulieribus quis ope summa contenderet, vix posset pejus remedium omnibus hisce excogitare, & crediderim, nisi plane contrariam institisses viam, pessime se habituram fuisse illustrissimam dominam, quam servasti optima profecto medendi ratione. Quod autem ægre tulerint limoniorum succo infuso dilutum potum, ea demum mera inscitia est: quid magis resistit inflammationi? ego sane hordei vel avenæ dilutius decoctum limoniorum succo infuso gratum large propino puerperis quotidie, si calor, sitis, morbus, temperies exigunt, & quidem faustissimo ubique eventu. Ne autem putes forte me hoc in assensum scribere verius quam ex observatis, inspice quæso schedulam his insertam, ubi cernere est quænam censeat ille, qui omnium mortalium optime de his præcipere potest, mille experimentorum successu instructus Mauriceau, cui nemo hodie par orbi medico innotuit.

Mauriceau lib. 3. chap. 1.

Aussi tôt que la femme est accouchée & delivrée de son arriere-faix, il faut prendre garde &c. liv. 3. ch. 3. vers la fin. L' Accouchée se doit tenir en repos

pos &c. liv. 2. chap. 9. au milieu ; on préférera de donner à la femme des bouillons & consommés faits &c.

Sed hæc sors semper eorum qui servilis adulationis pertæsi audent præconceptas opiniones deserere, & candido animo, atque generoso instituto, studere magis saluti humani generis, quam ineptissimis artibus captandæ gratiæ, & lucri inde aucupiis. Tu his ne cedas, sed contra ito audentior. Virtus sola sibi pretium; nec curandum quid ignari, sed quid dictet sapientia. Præsens jam Principis Dominæ malum puto referendum ad affectum uterinum, cui superando aeris usus, motus vectionis in rheda, deambulatio, maxime conducent. Vesperi lene pedum balneum quadrante horæ continuatum ex aqua dulci commendandum; tum levis usus pilularum quæ fiunt ex gum. ammoniaci, opopanacis, sagapeni, aa ʒj. balsam. peruvian. alb. gr. xvj. castorei gr. ix. quarum gr. iij. sumenda mane, una hora ante jentaculum, iterum una hora ante prandium, denique rursum unica ante cœnam hora. Quibus brevi sanationem spondere ausim. Vale, & si quid fiet quod mea ars potest efficere, rogo indica; efficiam lubens omnia ad quæ valere potero. Lugd. Bat. 17 $\frac{15}{8}$ 15.



DE ROBORANDIS *fibris morbo debilitatis, regimine ablactandi, aurium morbis.*

Miratus dudum fueram quidnam causæ esset quod tamdiu nihil quidpiam a te litterarum accepissem, atque sæpenumero sinistri quidne accidisset metuebam. Utinam vero infra metum substitisset tantum, neque primum gratissimæ epistolæ munere in-

intelligerem ea quibuſcum conflictatus es mala! unum id ſolamen adfert, quod arte vales amoliri quæ caſus infortunii attulit. Gaudeo ſapientiam tuam tam feliciter ſervaſſe celſiſſimum Principem, ut magis magisque perſpiciat tua merita, eademque dignis decorare pergat præmiis! gratulor tibi ipſi incolumi a malo morbo! ſpero brevi ſuperatum iri eas, quæ forte ſuperſtites infeſtant debilitatum male, reliquias! Si quid perſpicere valeo, puto hacce rerum facie opportunum tibi fore & ſalutare, ſi omni mane antequam lecto exires, totum corpus pannis laneis calidis, ſiccis, ſupra accenſæ maſtichæ & olibani fumis rite detentis, perfricandum curaveris: dein horæ ſpatio, jejuno ventriculo deambules, ad excitationem nativi caloris; tum bibas ℥j. ex vino medicato, quod fit ex libris iv. vini generoſiſſimi infuſis tridui ſpatio calide cum ℥iij. ſalviæ, ℥j. rad. angelicæ ℥ij. cort. peruviani. Idem aſſumere ſi velis hora quinta pomeridiana, poſt exercitium moderatum unius, alteriusve horulæ, brevi vires inſtauratas habiturum confido. Certe ardentibus votis apprecor.

Equidem lætor impenſe de valetudine Principis pueri. Probo conſilium de continuando nutricis lacte usque in adventum Maii ſequentis. Tunc optimum erit, ſi jam incœperis pro prandio exhibere quidquid ex hordeo, oriza, milio, avena, paratur cum aqua, lacte, vel jure carnis vitulinæ, ovillæ, bubulæ, gallinaceæ, ſimilibus; & maxime obſervavi ſemper prodeſſe panem biſcoctum recentiſſimum, tenerumque, qualem hic Lugduni te obſervaſſe crediderim. Veſperi offerri poterit jus dilutum carnium cum pauxillo panis biſcocti macerati, aut aliquid quod ex lacte fit, non nimis craſſum. Cum interim aliquid dari oporteat puerulis medio tempore, amyg-

dalæ dulces prosunt, aut & pistachiæ; tum & illa quæ ex pane biscocto fiunt, lagana vel scriblitæ; atque hæc quidem optima habeo, ut utatur mense Januario & Februario. Deinde autem Martio atque Aprili, in prandio offerre fas erit omnia quæ modo commendavi, sed pro mensa secunda offerre carnes recentes assas, minutim incisas, pane biscocto intermisto sicco, ex vitulis, hœdis, agnis, ovibus, columbis, gallinis, gallis indis, phasianis & similibus; quæ cum sale pauco & pane biscocto semper danda, ut ita cogatur manducare ob siccitatem duriusculi biscocti, nec deglutire queat offas integras, unde tot sæpe mala. Cœna tum rursum esto ut ante. Ubi hoc victu utitur, sæpe dandum aliquid de cerevisia, aut illo potu quo deinde usurus erit, parva copia, ut assuescat sensim.

Sic agendum mense etiam Majo, nisi ut tunc in initio noctu incipiat raro lacte nutricis uti, nec nisi urgente necessitate clamoris interdiu arcendus ab ipsa. Ut autem lac nutricis interim non corrumpatur, quærendus alius infans, qui tamdiu de die sugat. Deinde victus idem conducit, qui ultimis hisce mensibus præscriptus erat, lento gradu procedendo ad pleniorem diætam. Cerevisia clara defœcatione, nec tamen adhuc acris, optima erit.

Tristissimum Cæsareæ familiæ fatum acerbe doleo. Suppleat jacturam Deus in quietem Europæ! cernis autem quam perfunctorie, ne acrius dixerim, agantur res Principum, & longe felicius tractari plerumque quorum conditio extra magna præmia locatur, & infra invidiam. Utinam exemplum cœpissent ex te quid prodesset! sed ita semper aulica se habebunt negotia. *Tu nc cede malis, sed contra audentior ito, quo tua te fortuna vocat.* Posses enim autoritate Principis Eugenii uti ad cavenda tam in-

fau-

fausta orbi damna, melioraque ipse consilia suppeditando prodesse.

Principi matri exhibe quæso omni mane jejuno ventriculo, grana quinque lectissimi corticis peruv. ex pauxillo vini Hungarici; vesperi hora quinta guttas xx. ex mistura tincturæ castorei & succini, idque continua mensis spatio: forte sedabitur morbus; nam est summum fere in eo remedium, quod experiundo didici.

Si mastiches, olibani, succini, a. ℥iv. 24. horis digeruntur in phiala valde alta vitrea hermetica, cum duodecuplo omnium alcohoolis vini arte chymica parati, tum habetur liquor amicissimus membranis, nervis, tendinibus, qui exceptus parce lana, atque auri immissus non nimis profunde, halitu benigno fibras roborat. Tuto poterit periculum fieri an effectum Principi optatum præstare queat: Voveo!

Nihil ego hactenus edidi in publicum præter ea quæ vidisti, & nimis laudas; neque sane ea ipsa emittendi audacia me tentasset unquam, nisi muneris publici coegisset ratio. Dicam sincerus sæpe tamen me pœnituisse temeritatis. Viri boni est animo circumspectissime uti ad omnia, antequam audeat vel minimum quid pro explorato extendere. Biennium est a quo magistratum obivi rectoratus academici; lex tum exigit sermonem publicum; egi de certo in physicis acquirendo, nec ausus fui exemplar tibi mittere per tabellarium, quia tanta mercede rem redimi non placituram verebar. Vale Lugd. Bat. 1716.



DE DYSENTERIA *Castrensi*.

Simul ac intellexi quis fatalis morbi genius, tum me dedi ut reperirem viam qua iretur in sanationem mali.

Sedulæ meditationis effectum in chartula mitto; tu pro sapientia qua excellis in arte, expende si quid boni habeat, plenoque pro arbitrio muta. Ego non potui meliora excogitare, & convenientiora castrensi medicinæ.

Si non a scientia placuero, certo laudabor ab obsequioso conatu, qui, ut parerem jussis Serenissimi Principis, famam meam periclitari volui lubens in re tanti momenti.

Ipse male habeo a morbo pulmonis, qui motum molienti spiritum præfocat. Utor omnibus, proficio parum: forte verni favonii tepor boni quid inspirabit, sed dabit semper Deus, quod unice mortalibus bonum; illi sit gloria, amor, & obedientia nobis.

Vide Epist. Boerhaavii in litteris consultatoriis Boerhaavii per Hallerum editis, quæ prostant ad calcem tractatus Boerhaavii *De Oculorum morbis*, Parisiis anno 1748. editi.

DE

DE DYSENTERIA
Castrensi hungarica, febreque Castrensi hungarica.

IN cognoscendis, curandisque morbis castrensibus, aut endemicis, puto acri diligentia opus, tum quia difficulter detegitur horum natura, tum etiam quia semel, ea revelata, omnium est eadem tractatio. Invenitur horum causa in accurata excussione egestorum, ingestorum, retentorum & excretorum, & applicatorum. Maxime autem oportet contemplari aerem, aquam, loci indolem, quæ cuncta adeo absolute tractata puto in libello meo de inveniendis causis & ingenio morborum, ut sane nihil super addere queam, nisi labore supervacaneo abuti vellem. Ideo magis accedo ad Dysenteriam. Quænam hujus sit in Hungaria causa præsens vellem indagare hoc ordine.

1. An in potu communi lateret salinus, vitriolicus, arsenicalis, antimonialis, putridus, vel similis aliquis stimulus. Plerumque talis reperitur. Frustra tum quæritur remedium. Oportet vitare, vel emendare; si neutrum datur, certa strages.

2. Forte in pane tanta insectorum copia, ut pendeat hinc causa morbi, aut in fracedine semicorrupti & suffocati frumenti: id nostris quoque contigisse novi.

3. Nunc & usus crudorum fructuum, cum aquæ potu eo fecerit.

Si mali origo deprehenditur in hisce hærere, evidenter apparet quid sit agendum ut sanetur morbus, tumque tota res nihil habet difficultatis, cum communi methodo tractari postulet. Si autem in

iis reperiri nequit, ſed latet penitus, ut ſæpe fieri notum eſt, tum mihi videntur duo ſupereſſe, quorum conſideratio multum lucis methodo inveniendæ affundit; ſcilicet ſpectandus primo ſtimulus excretionem pariens; deinde vero virium ingens jactura, non adeo pendens a copia materiæ ejectæ quam a vi quadam agente in ſpiritus ipſos venenata: & ſane a poſtrema hac cauſa mori viſi ſunt fere omnes quos ego mortem obire vidi ex dyſenteria. Cognoſcitur autem maligna hæc indoles ex deliquio virium ſubitaneo, doloris atrocitate, ingenti tenesmo, pulſu tenui & admodum vacillante, pallore faciei, nauſea, faſtidio ab omni cibo, ſiti inexplebili. Simul ac talia apparent, in initio ſtatim hæc methodus ſemper meis reſpondit votis.

I. Accipio radicis ipecacuanhæ in pulverem contuſæ drachm. iſs. illi affundo vini uncias ij. ſtent in infuſione fervida, absque ebullitione, ſpatio ij. horarum; tum liquorem per pannum trajectum uno bibat hauſtu, expectet primum vomitum, eo peracto, bibat uncias viij. mulſæ; ubi evomuit, bibat iterum tantumdem: hoc agat poſt ſingulos vomitus, donec ultima mulſa retineatur; tum quieſcat: ſemper fere ſimul deponet alvum. Poſtquam quievit poſt ultimum vomitum per horam, ſumat hoc cardiacum.

Accipe fruſtum panis toſti utrimque; id utrimque bene frica cum nucis myriſticæ fiſſæ ſuperficie; tum illi ſuperfunde vini frigidi uncias iv. pauxillum cinnamomi contuſi, & ſacchari. Veſperi exhibe hujus opii, quo nullum præſtantiſſimum eſt, granum unum cum ſemiſſe in pilulam redactum: omnis preparatio illud debilitat. Mane rurſum vomat, toſtum edat, opium veſperi ſumat, ut primo die. Dein quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, no-

no,

no, sumat mane & vesperi, granum unum opii. Vix peribit ullus ex ægris. Toto hoc tempore potum concedo liberalem; quem negant fere ægrotis alii, sed cum maximo detrimento. Sed do lac cum duabus partibus aquæ hordei calidæ, aut decoctum hordei cum pauxillo vini & cinnamomi, & pane tosto macerato.

Ægrotanti interea lac, puls avenacea, hordeacea, oriza, milium, hordeum, avena, & inde parata edulia, conceduntur: licet enim in hac methodo dare quæ vetantur in aliis. Cernis; ita excutitur contagium susceptum, antequam infecerit sanguinem. Interim spiritus instaurantur cardiacis, potu, opio, quod forte summum in his nomen meretur super omnia reliqua.

Si autem malum jam durasset per aliquos dies, antequam bona medicina paretur, & vires jam essent maxime prolapsæ, tunc non auderem viam hanc insistere, sed illico curarem injiciendum hoc clysma, quod fit ex terebinthinæ venetæ drach.ij. vitell. ovi num. j. subactis admisceatur theriacæ Andromachi unc. ß. lactis recentis, in quo ferrum candens aliquoties extinctum, ℥viij. Id repetendum curarem omni spatio XXIV. horarum, usque in vicem quintam. Interim sumat omni hora unciam unam de sequenti potu, qui fit ex vini maturi dulcioris ℔ß. aquæ decocti hordei ♃jß. cinnamomi unc ß. sacchari drach. vj. Mane autem & vesperi deglutiat opii semi granum. Victus ut in præcedenti.

Neque hæcce methodus elusit vota unquam, ita ut fere secure illi possimus confidere. Tamen omnino fatendum ingenuo est homini multa deprehendi corpora adeo tenuis fabricæ ut ferre nequaquam possint geminatos vomendi impetus; tum tamen æque

certo, atque tuto curari possunt, sed via leniori hacce.

Simul ac dysenteria incipiens primis se signis manifestat, illico bibat æger hunc haustum: sume hujus rhabarbari in tenuissimas lamellas tum demum scissi scrup. IV. vel V.: in mortario vitreo conterantur cum aquæ communis, sensim affundendæ inter terendum, unciis duabus, ut fiat pulticula æquabilis, cui dein affunde aquæ stillatitiæ cinnamomi unciæ semissem. Vesperi ejusdem diei deglutiat granum unum, vel alterum, opii hujus. Id continuetur usque in quartam quintamve vicem, erit sanus. Atque & in hac via curandi victus refocillans idem prior confert. Ausim asserere, omnis dysenteria sanabilis, quæ necdum scilicet gangrænam peperit, his tolletur.

Verum sæpe accidit omnem ventriculi, hepatis, pancreatis, intestinorum, fabricam adeo debilitari, laxarique, ut humores huc ruentes affluant, vires labantur, subito moriantur. Cito hic, certoque opus remedio. Ergo illico tum detur theriaca ad drach. ij. cum vini calidi unciis vj. Superbibat decocti panis cum vino & cinnamomo parati calidissimi, uncias xij: sudet leviter, simul applica epigastrio theriacam ad alutam extensam. Injice clysma ex acqua ferrata fabrorum, vel lacte ferrato, cui adde cortic. granator. vel folior. quercus unc. ij. theriacæ drach. ij. ebulliant parum; dein utere pro clysmate: certo juvat: repeti debet omni mane per tres, quatuorve dies successivos. Hæc sunt primaria quæ de dysenteria didici reipsa. Interea nosti si inflammationis summæ, suppurationis, gangrænæ topicæ, signa docuerint præsentiam horum malorum, variandam etiam esse remediorum, methodique naturam.

Sed

Sed hæc tum communia requirunt aliis similibus morbis auxilia.

Supereſt jam ut votis tuis morem gerens pauca etiam commenter de natura, & ſanatione febris Caſtrenſis Hungaricæ. Eam nunquam exploravi. Tu expertus longe firmiora experiendo ſcies, quam ignarus ego conjectando invenire poſſim.

Obſervat Hippocrates, & poſt eum omnes, in omni febre epidemica & endemica, conciliari humoribus contagium aliquod pariens febrim. Verum illud duplici fit modo ſemper; primo enim aliquando excitatur a peregrino hoc ſtimulo ſanguinis ſani violentior circuitus. Tunc eſt calor ingens manifeſtus toto corpore, reſpiratio fortis, denſa, anheloſa, pulſus celer, fortis, magnus, expanſus; urina rubra valde; ſitis, ſiccitas, anxietas, delirium; inquietudo ingens. Febris hæc, his ſignis cognita, requirit venæ ſectionem, dilutionem, nitroſa, oxymel, pediluvia, balnea vaporis, erectum corporis habitum, clysmata nitroſa, diluentia, diætam tenuem ex hordei pulticula &c. potum aquoſum, acidulum: ita facile ſanatur naturæ, artisque auxilio. Sed vero aliud eſt genus hujusmodi epidemicæ febris, longe pejus atque lethalius, quod vix centeſimo obſervatur medico. In ea quidem febricula eſt vires illico proſternens, absque apparentibus malis ſignis; calor longe mitior, ſæpe vix percipiendus, cum frigore ſæpe extremorum; reſpiratio impedita, anguſta, anxia; pulſus celerrimus, debilis, vix percipiendus, tenuis, maxime inæqualis, ſæpe quaſi evaneſcens; urina non rubra, ſed plerumque lactea, turbida, absque ſedimento, aut varia penitus; ſitis ſæpe minor; ſiccitas oris, linguæ, faucium; inquietudo, deliria levia, anxietates leviores. Febris hæc ſola ſæpe virium jactura ſe prodit, adeo latere ſolet

let & fallere : quum interim longe sit priori periculosior, tam ex sua natura, quam ex mala ejusdem tractatione, adeo ut ipse Princeps in his aliquid sacri vel divini agnoverit. Simul ac febris hæc deprehenditur adesse, surgat æger illico de lecto, sedeat in sedili; moderatissimo modo fruatur calore; abstineat ab æstu; capiti, manibus, epigastrio, applicentur fomenta ex aqua & aceti aa p. æ. pedibus & nuchæ noctes diesque applicentur epispastica ex fermento acri panis cum sale & aceto subacto; bibat decoctum hordei, cum succo citrei, aurantii, cum rob ribesiorum, cerasorum nigrorum, sambuci, & similibus larga copia. Ubi largo talium usu permaduit, si sponte sudat, continuetur ille lenissime sine ulla violentia, sed quam mitissime. Cibus esto ex panada cum vino pauxillo & similibus. Medicamenta tum dentur omnia quæ putredinem arcent, humorumque nimiam dissolutionem prohibent; qualia hæc, & similia.

♃. fol. rutæ, scordii ana m. ij. cortic. citrei flav. unc. ij. suc. citrei recens pressi unc. iij. aut ejus defectu aceti vini acris unc. jß. aq. com. ℔ iv. tunc liquori per pannum depurato admisce rob sambuci unc. iv. aq. stillatit. cinnamomi unc. j. bibat de hoc liquore æger unc. j. omni hora de die & noctu, nisi somnus impediverit.

En tibi, chare & clare vir, hæc sunt illa compendio quæ simplicia quidem, sed tamen principalia habeo arcana in tenui arte, quam diligenti sollicitudine quæsivi. Liceat autem mihi candide eloqui: hæc distinctio febris in has binas diversas classes, harum per signa prudens cognitio, atque diversa pene curatio; est fere præcipuum quod didici; nec temere crediderim aliud esse quod magis prodest medicis, ægrisque. Vale! excusa, quod ocius non respon-

ſponderim. Sane meditatio tempus requirit, & rei ſeriæ conſcriptio.

Hodie itinere terreſtri per Naubergam Viennam miſi rad. ipecac. ℔v. quinquinæ lb. xij. rhei lb. v. opii lb. iv. Lugd. Bat. 17 26/4 17

DE HIPPOCRATIS *libro de aere, aquis, & locis, & præcipitantibus chymicis.*

BEnevolentiæ tuæ & amicitiæ exceſſus ſupra modum erga me eſt, mea vero in te merita vel nulla, vel minimi ſane momenti habentur: quare erubeſco quoties tot me encomiis obruis, quorum certiſſime nulla in me ullo in modo reperitur cauſa. Itaque ignoſce deprecanti. Oro ne aliam in animo meo dotem agnoſcas, quam candidum tibi ſerviendi animum.

Si cum vera ratione in caſtra mutatione varia proficere in animo eſt, quæſo lege cum attentione aureum libellum Hipocratis de aere, aquis, & locis: nec enim habet ſimilem, ſed vix eſt qui nobile opus legere, aut intelligere conatur.

Aquæ herentia metalla inſtillatione olei tartari præcipitantur, arſenicum minus, & tamen teterrimum eſt. Eodem oleo tartari patet ſal acidus latens. Sulphurea & arſenicalia in aquis latentia inſtillato vitrioli oleo fere lacteſcunt, fœtentque; ſi vero admiſcentur alcalina, flaveſcunt ferme aut rubent.

Si Principi Eugenio aliquid offerre velis poteris me monere; curabo habeat, ſi explicet animi ſententiam tibi; ſed quæſo ne ſignifices illi a me venire: nil plus fugio quam Principibus innoteſcere.

Confiſus amicitiæ tuæ adeo hanc a te ſperare licet

licet gratiam, cæterum nihil meritum nullis benefactis oneres oro, nisi solo modo constanti amicitiæ dono, atque mandatis eorum quæ opera mea hic præstita voles. Vale Lugd. Bat. 1717.



DE INTESTINO CÆCO materia duriore obsesso.

Fonticulus Sturmii impletur aqua; imponitur tum suo catino, salit; simulac digito obturas canalem medium nil exit: eo rursum laxato, salit, sicque pro libitu, ut monstretur pressio aeris gravis æque sursum quam deorsum. Fonticulum vitreum mittam, simul ac instrumenta parata erunt, quod brevi fiet. Scribam Londinum pro microscopio, ut impetrem quod petis.

Summa quidem mentis applicatione perpendi mecum historiam Principis Dominæ, neque tamen aliud quid causæ deprehendo, nisi dilatati intestini cæci cavitatem obsessam duriore materia, tempore graviditatis impacta, collectaque, atque diu difficulter resolvenda; nisi forte & ovarii dextri scirrhosa quædam adfuerit labes. Sane incisorum cadaverum contemplatio sæpe hujusmodi causas spectandas exhibuit postquam malis similibus obnoxiæ dudum ægræ languerant. Solent interim hysterici affectus morbo huic comites semet dare, undique mœstitiam conciliare animo, quæ pejora cuncta efficit. Mihi quidem videtur optimum fore, si mane & vesperi locus be[illegible] ungeretur, perfricareturque hoc unguento.

℞. Ung. martiat. nervini ana ℥iij ol. stil. lign. rhod. ℥j.

Atque bibat omni biborio diei unum cochleare hujus mixturæ.

℞.

℞. Sal. vol. ol. nostræ descript. in colleg, chemico ℥j. sp. cochlear. ℥iß.
tinctur. myrrhæ. ℥iß.
succini } nostræ descriptionis. ℥iß.
castorei
Syr. arthemis. Fernelii
5. Rad. aperient. ana ℥ij.
aqu. stil. lavendulæ, majoranæ, melissæ, salviæ, ana ℥vj.

Hæc continuentur spatio mensis, dein eventus docebit quid agendum porro sit. Vale Lugd. Bat. $17\frac{28}{1}18$.

DE OPII USU in hystericis affectibus.

GAudeo Principem se dedisse experimentis videndis; id enim recte valere eum me docet, sed quæso ne ita irascaris aliis ut mihi auferas voluptatem tibi inserviendi tuisque. Vilella Amstelodami vivit sua sorte contentus, seque sustinet faciendo medicinam. Credo eum emersurum, si eruditio & virtus ejus innotescent.

Opium videtur virtute sua omnino singulari semper pacare motum spirituum animalium; somnum, ebrietatem, apoplexiam, facere nimia copia, sed communi aliis vi. Apparet medicamen calidissimum omnium. Unde duplici hac vi, propria scilicet in spiritus, & calida communi, in omnia agit. Forte licet inde conjicere opium nocere ubi morbi habent spiritus animales debiles, turbatosque a defectu, ut in nonnullis tenerrimis hystericis; nec enim in cunctis te id observasse putem. Hæc sane ego soleo di-

diſtinguere in eo adhibendo, nec video nocere ſi parca repetita porrigitur doſi ex gr.

♃. Succi limoniorum recens preſſi ℥ſs. opii puriſſimi pr. ij. in mortario vitreo accuratiſſime contritis ſimul admiſce aq. ſtill. cinnam. ℥vj. aq. ſtil. cort. citrei ℥iſs. aq. ſtill. meliſſæ ℥ij. ſyrup. viol. ℥vj. tinct. ſuccin. ℥ij. m. bibat ℥ſs. omni quadrante horæ, donec ſedentur paroxyſmi. Vale! Lugd. Bat. 17$\frac{15}{2}$20.



DE CONVALESCENTIS *Regimine.*

GRatulor tibi de recepta valetudine, quam firmet prorogetque Deus! tu fuge nimis acrem mentis exercitationem, corporisque motui potius indulge, ne recrudeſcat malum. Corporis interim fricatio frequens proderit, vinique temperatus uſus & equitatio.

Microſcopium mitto. Medicos te proſequi non miror; ſuadet ambitio, & avaritia, cogit vero deſperatio, cum diffidant propriæ arti, nec temere velint poſſintve ſenes meliora diſcere: ſentire cum bonis, cum multis loqui, ſapientis eſt; fac & tace, fauſtiſſima quæque tibi familiæque apprecor tuæ. Vale Lugd. Bat. 17$\frac{23}{3}$20.



DE MUSCULI EXTERNO- *maſtoidæi dextri ſtrictura.*

CUrioſe expendi indolem deſcripti morbi, atque conſilia data, & remedia illi curando; inde in ea quam enarro ſum ſententia. Videtur cauſa

mali

inali hærere in ipſo cerebro, utpote primo ortum ibi, atque directa modo oculorum acie in contemplationem attentam corporum ſe manifeſtans, inde tantum natis initio ſpasmis, inde continuatis tantum; accedit & in capite deprehenſus ſubinde hærens dolor.

Erit eo difficilior ſanatio, quo credibilior hæc de loco affecto ſententia, maxime quia auxilia tam bona, adeo valida rite applicata eludantur ab invaleſcente vi inſurgentis contra hæc morbi: nec meliora video. Maxime metuendus videtur progreſſus mali ituri in violentos inde ſucceſſurus ſpasmos, nec eſt absque exemplis ita quod ſentiam. Neque multum habeo quod proponam porro agendum, optima cum jam adhibita ſint, neque vel ipſa argenti vivi virtus profuerit, licet humores diſſolveret penitus uſque in ipſam corporis emaciationem.

Tentari poſſet delapſus aquæ calidæ in nudum caput mane & veſperi inſtituendus, ad dimidiati quadrantis horæ ſpatium quotidie per ſpatium ſex ſeptimanarum, cum frictionibus dein moderatis poſt ſingula embrochas adhibitis interim toto hoc decurſu. Suaderem locum dexteri muſculi ſterno-maſtoidæi mane & veſperi inungendum diu unguento altheæ compoſito; ut ſenſim inde laxior cedat; totam autem plagam colli quam ſiniſter maſtoidæus occupat, eodem tempore fortiter perfricandam curarem pannis calidis, ſiccis, ſupra vaporem accenſi ſuccini detentis, hocque fumo penetratis, ut ejus robur invaleſcens parem faceret æquilibrio cum antagoniſta obtinendo.

Lugd. Bat. 3. Aprilis 1722.



DE ÆTHIOPE FOSSILI.

ACceptas meas placuiſſe gaudeo, ſpero inventurum te in medicamentis præſcriptis quod ſalutare ægris, tibi utile ſit, & honorificum. Æthiops foſſilis, quem laudat *Harris*, tutum ſatis remedium, nunquam intrans in ſanguinem, ſed ventriculi regionem & inteſtina tranſeuns, repurgat maxime a lumbricis, quibus infeſtum venenum habetur. Ptyaliſmum non ciet: quoniam inerti ſua craſſitie minutiſſimos vaſorum lacteorum & meſentericorum oſculorum meatus præterlabens, humores non adit: ſæpe expertus loquor: verbo dixerim, crudior eſt cinnabaris.

Pro amicitiæ & benevolentiæ liberaliſſimis, & geminatis ſemper muneribus, gratias ago quam maximas. Vale Lugd. Bat. 1722.



DE RADICE GINSENG, *& lumbagine rheumatica.*

IN tota Batavia unus modo Aromatopola habet radicem veram ninzin, ſed ſceleratus ille lucripeta noluit dare ſemiunciam hanc, niſi ſolutis illi primo 27. florenis; ſic divites dimittuntur inanes. Sane ego non æſtimo pluris quam fœniculi dulcis radiculas, quibus hæ conveniunt.

Foſſilia quæ mihi miſiſti, ſuo tempore optime accepi, nec læſa, ſed non potui videre; nam viſum eſt Deo me jam ſpatio quatuor menſium lecto affigere, ut necdum vel erectus ſedere potuerim, quamvis lente convaleſcam. Morbus eſt, quem inter

ter Autores unus Sydenhamus deſcripſit titulo lumbaginis rheumaticæ; nec valuere tentata plurima remedia nec methodi.

Maximas ago gratias pro munificentia qua me ditas. Felicior fuiſti, qui ſimile morbum tam cito ſuperaſti. Uſum purgantis omni menſe non improbo, ſi modo paregoricum veſperi ſumpſeris quantum videlicet Sydenhamus in editis ſuis ultimis. Vale! Lugd. ex lecto meo 17$\frac{3}{12}$22.



DE LUMBAGINE rheumatica.

TUas equidem tempeſtive litteras acceperam, quas jam 19. Novembris elapſi anni ad me dediſti. Debueram reſponſum, fateor; peccavi, ignoſcas occupato huic homini; parabam reſponſum, differre coegit dolor; dein vero moles negotiorum me tantum non oppreſſit vix reſpirantem a languore. Pudet me quod nullam adferre poſſim cauſam ut excuſatum me habeas. Tu, mi care amice, condona hunc errorem amico tuo, & illo utere porro ut qui ſincere teſtari queat nihil magis ſtudere quam ut tibi gratum quod ſit præſtare poſſit; neque enim inter homines alium magis quam te amo, quia nullum novi cujus amicitiæ plura debeam.

A morbo meo fere convalui, officia mea tam publica quam privata ab ineunte anno usque expedite ſatis curavi; ſed nimium quam par eſt diſtrahor. Supereſt dolor ſemper in regione lumborum. Hunc expugnare conor largo & quotidiano uſu ſucci preſſi de beccabunga, cochlearia, fumaria, naſturtio aquatico, & taraxaco. Juvat ſa-

tis hactenus. Paralysis & atrophia jam superatæ sunt; redditum nuper minabatur dolor, sed cessit illico liberali usui trifolii aquatici.

Fidelis mihi consultor Sydenhamus; ferme unus bene scripsit de hoc malo substituto rheumatismi. Methodum & remedia quibus te aliosque felici sanasti sapientia omnino laudo, ipseque vidi optima: utinam fas mihi esset consilia sequi quæ vera offers! utinam daretur tranquilla sequi ruris silentia procul a negotiis, atque uni Deo amando atque adorando devotam occupare mentem! sed votis fata obstant, & opinio ægrotantium, & discipulorum, me ubique prosequitur vel fugientem. Bis enim ex patria jam excessi per mensem æstivis feriis, ut scirent me nolle magis medicinæ faciendæ operam dare; sed redux aucta vidi omnia: nec peregrinanti alloquia effugisse datum est. Considera, quæso, quantum torqueor. Vale vir integerrime, atque amicissime, & me tuo utere: Lugd. Batav. 1723.



DE ACINELLÆ USU.

Accepi jam ex ipsis Indiis acinellam veram, quam simul mitti ad te curabo; est optima; curavi ut legeretur in insula Ceylon ipsa. Nec potui nisi intra biennium tuis votis facere satis: tantum faciendum est itineris. Pretio venditur hic carissimo; sed ab ipso gubernatore accepi: tu utere ut summo lithontriptico, in Asia celebrato, approbato in Europa. Drachmam infundunt cum bullientis aquæ ℥iij. ut the paratur. Bibitur infusi dimidium mane, vacuo ventriculo, altera pars hauritur vesperi una ante cœnam hora; id semel in septimana

mana factum mira ad calculum efficere ajunt. Fac periculum: placebit vestris. Lug. Bat. 17 2 5/7 23.

Sanus vigeo, decurro iterum totos dies, contemplandis, & quærendis plantis intentus. Usus sum ingenti copia mellis, atque succis recens pressis ex beccabunga, fumaria, nasturtio aquatico, & taraxaco, ad aliquot uncias quotidie haustis: id egi trium mensium porrecto spatio. Jam infuso trifolii aquatici utor.

DE PODAGRA, Melancholia, Rheumatismo, Plethora, Variolis curandis.

NImis, o amice, laudibus me effers! pulchre scio quam parum valeam. Certus sum nullius beneficii debitorem te mihi vivere, me vero tibi obstrictum, ob tot accepta amicitiæ, imo vero & liberalitatis, munera; pro quibus ut gratias ago maximas, ita quoque quoties potero, curabo semper sedulo.

Ægerrime doleo sortem tuam! specto plethoram diathesin melancholicam, podagram, rheumatismum! malorum catervam uno tamen credo fonte prosilire, plethora. Hanc augebis missione sanguinis, atque induces tandem corpori cachexiam. Serio igitur cogitandum de efficaci, neque tamen ita perturbante, remedio; fac periculum.

♃. Rad. rec. gramin. ℔j. barbanæ unc. IV. stipit. dulcamar. unc. vj. minutim, scissas, tusas, decoque spatio unius horæ, vase clauso, in vesica scil. distillatoria; dein has radices contunde, succum exprime, aquam quæ inter decoquendum ascenderat per serpentem, reaffunde succo, & decocto tantum

 aquæ

aquæ adhibe ut habeas jam decocti ℔vj. has quiete sola fœcibus sponte subsidentibus depura. Serva loco frigido vasis lapideis.

℞. Crystallor. tart. Rhenani candidissimi unciam integram, contere in pollinem tenuem. Divide in v. doses æquales. Tum singulo trimestri spatio ita age per quinque dies successivos. Mane hora 6. sume unam dosim tart. superbibe uncias iv. decocti tepidi. Idem repete hora 7. 8. 9. 10. ut sic uno mane unciam tart. absumas cum unciis xx. decocti. Purgabit, non turbabit; diathesin phlogisticam sedabit; aperiet viscera; avertet a cerebro: macilentiæ quid conciliabit corpori; faciet ne misso sanguine sit opus. Semel in mense balneo utere tepido aquæ dulcis, frictione spinæ dorsalis & pedum utere perquam frequentissime. Talibus ita convalui, ut liber ambulem per desruta, ad quærendas herbas, plures sane per horas, quamvis 54. jam annos natus, & multis utique laboribus fractus sim. Utinam & tibi prosit! me spes alit.

Haud temere credideris qua ego ægrimonia viderim te, hominem liberum, & tuæ spontis, alieno iterum arbitrio te commisisse, aulam qui spectasti, atque aulicos Principes qui novisti horumve imperia. Mihi ne quid contingeret tale, in extremum fugerem Getuliæ augulum. Sed reducere nequit supra potentis limen semel qui posuit pedem: sic cecinit Euripides. Sic repetit Ptolomæi intrans liburnicam Pompejus. Tu ergo jam Salomonis monita sequere. Gratia Principis servitus æterna, ira ejus rugitus leonis est. Cæterum vix a risu tempero dum sollicitum video aulicum de integritate mentis, & animi religione. Vah! exeat aula qui vult esse pius. Interim, ut fas, serio omnem rem expendi qua possum animi acerrima applicatione, liberosque sensus sermone simplici effero. Tem-

Temperatio corporis videtur valde mobile habere nervorum ſyſtema & cerebri, tum & humores laxos quidem, acres tamen & facile degeneraturos in alcaleſcens, & oleoſum putridum. Unde liberaliorem pinguis medullæ uſum coercendum puto, carniumque minus pinguium uſum ſubſtituendum. Potus aquæ & frequentior panis uſus conducere videntur. In morbis enarratis, maxime quidem illo penultimo, aliquid anomali apparet, quod ſuſpicioſi quid infert.

Tutus tenui capitur de menſa cibus, bibitur ex auro venenum! porro acta vita mihi ſatis placet ad ſalutis conſervationem, excepto pinguiorum uſu nimio, nec in hac ætate violenta nimis corporis exercitia laudem, dum interim moderata eadem quam maxime neceſſaria exiſtimem.

In dirigenda cura variolarum longe plus ſcrupuli hæret, quia morbus hoc titulo intellectus tam mire varius eſt, ut in aliis quidem caſibus longe alia curatio requiratur. Et in ea quidem re curate cognoſcenda unus ſane Sydenhamus ſufficit, cura, fide, & ſapientia, ad hoc negotium primus; cui addere boni quid non valeo, ſi ex ingenio mali, & mature modo curandæ variolæ eſſent ſemper. Tu vero memor es mei narrantis ſæpe in hoc mali genere cogitandum ſupereſſe de inerti reddendo ſtimulo contagioſo ſuſcepto, antequam inflammationes, ſuppurationes, gangrænas, vaſculorum in viſceribus eroſiones, & alia patraverit. Verum ſi vel verbulum de hac re feceris, exploderis, ſolus eris; vel ſi efficis ut conſilium valeat, tamen inſidioſiſſimi mali hic ſemper fere eventus tibi uni imputabitur. Quid ergo? ſi in propria occuparer familia, ſic agerem.

1. Si nunquam laboraſſet variolis, ſemper ſuſpi-

carer has, simul ac illius febriculæ invadentis signa apparerent, maxime si illæ tunc dominarentur.

2. Ubi vero jam sic intento mihi signa apparerent harum, illico conarer incipiens contagium, aut jam inceptum, enervare, & in loca minus periculosa pedes, crura, femora, a partibus nobilibus, capite, faucibus, thorace, visceribus, & abdomine, avertere.

3. Itaque moderate tantum vestitum quotidie, in cubiculo satis spatioso, modice tantum calido, toto die in sella, ad mensam levi quondam lusu, aut inspectu tabularum pictarum oblectarem, ad fallendum tempus, nec concederem decubitum ante sextam vespertinam; nisi gravia mala cogerent subinde in lecticam parum decumberet: noctu dormiens modice solum tectus jaceret.

4. Mane hora septima ad octavam balneum aquæ dulcis cum aliqua copia lactis dulcis & pauco cum nitro adhiberem, idem horæ spatio repetiturus. A quinta vespertina in sextam a balneo molliter crura fricentur & pedes pannis e lana confectis; tuncque semper applicentur pedibus emplastra ex cerato stomachico Galeni, & emplastro de meliloto, quæ semper dein dies noctesque adhærescant, solo tempore balnei auferenda.

5. Potus largus tepidus esto ex decocto levi avenæ cum aqua parato, cujus demum partibus quatuor una lactis bubuli recentis non cocti tempore usus admisceatur; quo plus inde biberit tanto rectius.

6. Cibus quater quotidie, sexta quaque hora dandus, hic unus esto. Avenæ a cortice repurgatæ una uncia incoquatur ℔. aquæ puræ tribus ad consumptionem dimidii, tum liquoris per setaceum trajecti unciis quatuor admisce succi limonii recentis unciæ semissim, syrupi violarum unciæ semissim,

panis

panis leniſſime toſti unciam unam, vini rhenani unc. ſs.

7. Bibat omni hora diei, ſi non dormit, unciam unam calidam hujus decocti.

♃. Herbæ ſcabioſæ recentis, morſus diaboli, a. m. ſs. flor. altheæ pug. ſs. pap. erratici pug. j. rad. graminis acetoſ. pratenſ. ſcorzoner. ſiſari, a. unc. j. ſem. contuſ. lini drach. ij. cum aq. decoct. ſpatio $\frac{1}{4}$ horæ ℔. iij. depuratæ admiſce ſyrupi diacodii unc. j. nitri depurati drach. ſs. ſumatque mane hora 8ª. veſperi hora 4. una de hoc pulvere doſem. ♃. Flor. ſulph. drach. ij. laudani puri ex ſolo puriſſimo opio gran. ij. ſtibii diaphoretici non abluti, rite parati, drach. ſs. M. F. pulvis ſubtiliſſimus, divid. in vj. doſ. æq.

8. Interim & ſexta quaque hora abluenda facies & collum tepida hac mixtura, iterumque detegenda. ♃. aquæ ſtill. flor. roſar. ſambuci, ſcabioſæ, a. unc. v. aceti roſacei, ſambucini, ana unc. ij. ſal. ammoniac. drach. j. ſp. vini vulgaris ſemel rectificati unc. ſs.

Atque hæc quidem agenda usque ad initia duodecimæ diei a primo inſultu morbi. Poſt hunc raro periculum. In ceteris conſulendus fidiſſimus Sydenhamus, maxime quoad uſum ſp. vitrioli in potu, ad variolas malignas & eroſionem vaſorum tendentes. Plura neſcio quæ uſui eſſe queant.

Vale. Lugd. Batav. 17$\frac{1}{3}$24.



DE PODAGRÆ curatione.

EXoſculatus ſum, quum acciperem poſtremas quas ad me dediſti, geniumque tuum venerabar &c. Denique & dolorum & defatigationis & exacerbati podagræ inſultus cauſa ſunt &c. Exercitationem moderatam tibi profore ſcio, præcipue autem molles juncturarum frictiones mane & veſperi conſtanter peractas. Aſſueſcunt ſenſim deambulationem ferre, eoque ſe ipſæ expediunt e vinculis arthriticis, &c. Veſalius, Aretæus, Nicander, &c. vale. 17$\frac{26}{1}$25.



DE PINI, ABIETIS, piceæ, &c. propagatione.

FElices tibi conjugales precor Deos &c. Pini, abies, picea, juniperi, quas miſiſti omnes periere, excepto uno &c. Abietes rubras habeo; plurimasque piceas natas ſeminibus elapſo anno mihi ex Italia miſſis, & jam optime creſcentes; etenim poſſum plantas illas propagare ex ramis, ſi abſcinduntur hi in ligno elapſi anni, & tum abſciſſi fines immerguntur pici calidæ, non fervidæ: tum æque vegeti remanent cum retento ſuo ſucco. Debet hæc abſciſſio fieri ad finem auguſti &c. Vale. Lugd. Bat. 17$\frac{29}{6}$25.

DE

De Diæta Lactea in podagra, & anglicana hernias curandi methodo.

Hei mihi: ut dolui vicem tuam ubi intellexi sævitiem podagræ ſpreviſſe quod auxilii oppoſueras! vis lactis blanditia demulcere quam ſuperare nefas; probarem, niſi ætas, conſuetudo, temperies, maxime omnium recordatio triſtiſſimæ quondam melancholiæ obſtaret. Forte poſſes hauſtu frigidæ ad uncias ternas mane vacuo ventriculo ingeſtæ quotidiano uſu infringere Iniquam humorum in phlogoſin degenerationem, maxime ſi ſemel, certo die, in menſe interpolares uſum tartari tartariſati, cujus tu noviſti parandi modum. Ego uſum ſummum ad tenacitatem inflammationis reſolvendam expertus commendo. Utinam hoc carum caput mihi levet! quam ſerio gauderem! Majo menſe autem & Junio toto, prima aurora haurienda graminis, beccabungæ, & taraxaci, expreſſa virtus, dum lenes interea frictiones ſemper & ſedulo ad articulorum commiſſuras inſtituuntur. Hæc ſanæ cum victu moderato tentanda prius mihi videntur quam via lactea decurrenda, ad quam, ubi cætera fruſtranea, tandem denique refugere poſſumus.

De methodo hernias ſanandi anglicana audivi nihil hactenus. Difficilior erit quam prima fronte apparet, quia cauſtica rodentia eſcharam ſtatim in ſuperficie factam vix deinde penetrant; hinc raro attingunt panniculum adipoſum: ſed ſi & hunc infecerint, quid hoc faciet ad impediendum ne dilatatum in ſacculi cæci formam peritonæum elabatur, atque in illud reliqua? deberet ergo inuſtio, ſuppura-

puratio, & cicatricis inductio fieri usque ad exteriorem musculum abdominis, ipseque ille peritonæi expansi alveus consolidari, aut nihil perficietur; sed tunc antiqua methodus secandi, separandi, ligandi, suppurandi, cicatricem firmam inducendi, Dionysio liquide descripta, tutior, certiorque habetur, quamvis rejecta dudum ob crudelitatem hac in cura non evitabilem. Vale, mi optime. Leydæ 1726.



DE CALCULO RENALI.

QUo tardiori mora jucundæ semper mihi litteræ tuæ frustrabantur, animum discruciabat dudum mihi: nescio quid mali tibi accidisse suspicabar, nunc dolens intelligo accessisse ad vetus durumque aliud haud minus crudele malum. Ego ad id prius consilium dederam quod habebam summum, idque profore credo; at forte simul fundens succorum virtus, latentes expulit calculos. Sane & olim hos ita nidis suis motos ipse nemini, ideoque succorum tamen usum porro suadeo. Quod si dolores a motu calculi urgent, scis aquam, mannam, opium, clysmata retundere impetum, lubricare vias, adjuvare expulsum; scis autem, & nimium scire necesse est, abundanti pinguedine renes gignendo, alendoque calculo aptos reddi quam maxime; ergo exercitatione corporis potius quam alio quocumque caveri remedio. Leydæ $17\frac{2}{9}26$.

DE

DE VENENIS.

NUnquam datur ad te ſcribere, quin officium me moneat ut agam gratias pro acceptis beneficiis &c. De venenis difficile eſt diſſerere: quis eorum in vivis hominibus experimenta, niſi nefaria crudelitate inſtituit? quis niſi his obſervatis præſentium effectus deteget? quanto teguntur aſtu lethiferæ artes inter arcana aulæ inſtrumenta ſemper repoſitæ! tutus capitur tenui de menſa cibus, ex auro venenum bibitur. Aula exeat qui vult eſſe tutus. Optimum crediderim omnia ſymptomata obſervare, usque obviam ire per remedia idonea ac ſi morbi eſſent ſingulares; ſed adverſus arſenicum vel cobalti fuliginem, quæ in deſcriptis a te ſuſpicor latere, nihil eſt auxilii in arte: nec ſapor, nec odor, monet imprudentes: & ex plumbo quoque tabifica fiunt. Verbo dixerim, una ſalus ad hæc omnia eſt obſtare nulli, dulci ſatiari quiete, & ſumere humi jacentes cibos. Ad ſitim, diabetem, marasmum, aqua hordei, mel, acetum, pro potu valent, eadem ad vomitum proſunt & ſpasmos. Forte tentari hæc poſſunt, potiſſimum, ſi ſubinde calcis vivæ ſubinde infuſum, filtratum aliquid potatur. Fit vero illud ℔. j. bene vivæ, recentis, nullo modo extinctæ, calcis demittendo in aq. optimæ vulgaris ℔. viij: ubi ebulliit, decoque ſpatio $\frac{1}{2}$ horæ, per emporeticam filtra; unciam unam bis in die vacuo ventriculo potandum da. Veneficus homo, fera peſſima, neminem magis dente petit horrido quam illum quem artes ſuas eludere videt.

Alumnus tuus poſtquam huc venit compellavit

me,

me, dixitque se Parisiis versatum, & excultum in iis quæ ibidem addisci queunt; jussum a te Leydam petere, paruisse se, atque me a te salutatum. Obtuli auxilii & consilii quidquid afferre possum ad promovenda ejus vota. Bonus videtur, modeste admodum vestitus; in meis scholis privatis & publicis semper præsens intentissimo semper animo. Examinavi, reperi ingenio & doctrina anatomica, atque chirurgica, ut Parisiis parari potest, instructum satis. Libros non habet, eget iis quam maxime. Sane Vesalii, Eustachii, Borelli, Bellini, Malpighii, Fernelii, Riverii, Sydenhami, Foresti, Sennerti, Hippocratis, Galeni, paucisque aliis carere nequit: ego operam dabo ut prosim. Scribas mihi quæ facta velis; simul moneas an impensis Principis, an privatis tuis fruatur, ut ex animi tui sententia in his agam. Leydæ 17 $\frac{27}{2}$ 27.



DE FEBRE AUTUMNALI
Epidemica anni 1727.

EGo non inviso magis ægros a longo tempore nisi paucos amicos: quare illi in clinicis exercendo par non sum; crediderim tamen doctrinam meam adeo facilem, ut intellecturus sit quam rectissime illa quæ ego super his sentio.

Morbus hic autumnalis maxime epidemicus omnes fere invasit, occidit quam plurimos. Post diuturnos æstus, summasque siccitates, anomala erat febris, vomitu assiduo, dolore capitis summo, phrenitide brevi lethalis; ubi quiescere visa, mox acriter recrudescens, cum insigni tumore abdominis, vomitu, sequente morte.

Alii inde languerunt tota hyeme luridi, pallidi,

tu-

tumentes. Millenos curaveram, priusquam ipſe decumberem, neque enim alios plures ægros ſanare coactus fui, tantus erat laborantium numerus! perſpexeram hinc mali genium, putabamque me immunem fore; quippe qui tota æſtate non niſi lacte uſus eram, & equitatione ad malum pectoris, quod hiſce feliciter ſuperatum fuerat. Sed decimo tertio Octobris invaſit me, preſſitque acrius, quam in aliis videram. Scilicet inter tot ægrotantes binos modo morbo hoc ſublatos obſervaveram, unum octuagenario majorem, alterum juvenem Ruſſum, quem jam amentem & convulſum reperiebam, quando advocatus primo videbam. Mihi ergo medicinam feci, ut aliis omnibus. Emeticum hauſi die prima. Altera die cremoris tartari unciam, ſic & tertia die iterum, quarto bina clysmata. Toto hoc tempore decocto ſimplici hordei cum multo ſambuci ſucco, & copioſo ſale polychreſto uſus. Hac cura repurgata habui viſcera prima, liberumque caput; ſed debilitas extrema urgebat usque fere ad ſyncopen: tum large vino rhenano cum citrei ſucco, ſaccharo, & pane toſto uſus, & decimo quarto iterum ter purgatus; dein poſt languores convalui cortice peruviano inſtar the infuſo interdiu ſumpto per aliquot dies; unde inſtauratus ſurrexi penitus, & videor mihi firmior quam ante. Quum languor a morbo me a munere cohiberet, compoſui tractatum de lue venerea, qui multum culpabitur a multis, ſed, credo, bonam & ſinceram doctrinam continet. Forte non diſplicebit tibi, ubi videbis in pingui ſolo ſe figere, hocque putrefacere, malignitatem hancce; atque hinc non curari, niſi oleum infectum ab ægri corpore ſeparetur. Sed lege, atque reſcribe quid te docuerit rerum uſus in hiſce. Accipies brevi ſcriptores de lue venerea Venetiis edi-

tos

tos olim, binis in-folio voluminibus. Hos hic excudendos denuo curavi; atque præfationem præfixi quæ dicta habet; eodem tempore historiam miri morbi consignavi, quem in Marchione de Sancto Albano tractavi, sed hanc nondum evulgavi.

Utor microscopio ex sphæra oculo æquali facto; ut oculos, linguam, labia, ægrorum examinem: Scis ibi nuda vasa ostendere humores arte non velatos, sed conspicuos, præcipue in oculo & palpebris. Hæ lentes optime tubo includuntur, ne opus sit nimis prope ad partes ægrotantium vultu accedere. Oculis iisdem in vulneribus, ulceribus, pustulis &c. perspiciendis adhibitis, multa didici, quæ proferre nimis longum foret; imprimis cum sponte patescant.

Clarissimus Burmannus, inter litteratos hoc sæculo Princeps, carmine animum erga me amicum publice testatus est; cujus exemplar in eodem libro mittendo tibi altera septimana reperies; vale, & optime. Lugd. Bat. $17\frac{23}{1}28$.



DE LACTIS USU
in podagra.

MAgno animo fortique aggressus victum ex lacte; eo felix sis, opto! si sustinere poteris, recte erit. Nihil equidem mali inde præsagio, ni forte nimis inde pinguescas, jam olim, si recordor, obesulus: quare crediderim pro potu præter victum lacteum, hydrogala ex binis aquæ ad lactis unam partibus propinandum, maxime urgente siti, & quarta decima die ex manna purgans mane, vesperi eo die diacodiatum hauriendum; corpusque interea equitatione roborandum quotidie: post pera-

ctam

ctam digestionem, ante cœnam & prandium. Vale, & scribe, oro te, qui cedat hic vivendi modus. Leydæ 1728.



DE PODAGRÆ CURATIONE.

NON sine læsa patientia expectavi frustra in hunc usque diem discere a te qui valeres, ubinam versareris, quid ageres, vel ea sane gratia, quo scirem litteras mittere ad te quibus nuntiarem me penitus convaluisse, de te assiduo cogitare, & angi ut rescisscam qua sint conditione podagrici dolores. Solatio fuisset misero, & veris forte graviora metuenti. Scias interim noctes me diesque laborasse in chimicis toto illo quo hinc abivisti tempore, ut reperirem remedium quod solvere tibi queat tenacitatem sanguinis abundantis, sicque sanare gravem morbum aut lenire saltem tormenti atrocitatem. Enim vero suavis mihi foret vitæ usus, si contingeret scire liberum te a cruciatibus vivere; nec adeo requiescam prius quam auxilia eo invenerim, aut mortuus fuerim. Simul ac voti factus ero compos, curabo habeas quod tuto queas adhibere.

Nuperrime contra podagram acrem, eaque radicatissimam, suasi crebrum largumque usum recentissimæ ac lectissimæ agrimoniæ, betonicæ, chamæpityos, melissæ, veronicæ, cum aqua simplici infusarum, sicque quotidie usurpatarum mane & vesperi. Credibile haud est quantum brevi profuerit, firmando vires, humores fundendo, & agilitatem articulis reddendo absque ullo usque dolore, qui prius fere assiduus. Vale. Leydæ 1732.



DE STIPITIBUS PARAGOIS, foliis acinellæ, radice Ginzeng, mungo, faba Ignatii, pareira brava.

Accepi fossilia quæ ad me curasti mitti per Chirurgum: elegantia sunt, pro iis gratias ago summas.

Medicus ille Aquisgranensis ex nugis fecit seria; sic solent.

Stipites Paragoæ quondam summo in usu, dum maceratis in aqua potus fieban, qui leniter expurgabant vomitu ventriculum; sed dudum est quod tam raro usurpentur, ut olim frequentissime.

Folia acinellæ ex Ceylon advehuntur, ubi nascuntur. Herba est proxime referenda ad bidentem Cæsalpini vel Tournefortii. Laudantur a virtute lithontriptica; usurpantur folia instar thee, usu & dosi.

Longe minus virtutis habet quam jactatur radix Ninzing Chinensium; vel Ginzing, vel Nisi Japonensium; est jam ultimum quod præbetur divitibus ad cardiacas, anthystericas, antiepilepticas affectiones. Tanti fit in Asia, China, Japonia, Tartaria, ut vitam longam, fœcundam, sanam utentibus promittant. Exploravi in variis; quid habet res! vanam jactantiam, præterea nihil. Videtur mihi odor, sapor, natura, virtus, exquisite referre radices fœniculi dulcis vel vulgaris. Pro uncia una veræ radicis solvuntur 25. vel 30. floreni monetæ Batavæ. Principibus datur ℥ ß. infusa aquæ, vino, vel simili liquori, vacuo ventriculo: placet pretium. Magis illa juvant quæ emuntur pluris, & divites ita inanes dimittuntur.


Radix mungi est remedium nobile revera, sed ra-

rariſſimum. Naſcitur in Ceylon. Venenatos morſus animalium curat ad miraculum usque, vi ſua penetrante valida.

Faba Ignatii ſpecies veneni eſt amariſſimi, proxime accedens ad nucem vomicam. Jeſuitæ nomen dedere a ſuo Heroe: vendebatur olim caro hic pretio, nunc vili: arcana revelata vileſcunt. Centaurium minus tutius, atque in eosdem uſus longe efficacius.

Pareira brava eſt radix brioniæ ex America. Parum efficit; multum laudatur. Cur? rara eſt, & commendatur a Medicis nugacibus, qui arte vacui, ſemper quærunt quid, quo dato, ultimum feciſſe, nihilque omiſiſſe videantur; ſed ſcis ſic in aulis ſemper obtinere: loquendum cum vulgo, cum ſapientibus ſentiendum. Nunquam ſum difficilis quin talia adhibeantur, modo non noceant. Ego puto, pro radice Ninzin, radicem fœniculi; pro paragois, ipecacuanham; pro acinella, agrimoniam & betonicam; pro mungo, rutam; pro faba Ignatii, centaurium minus; pro pareira brava, radicem ariſtolochiæ, commode ſubſtitui poſſe.

Curabo & ocyus optima omnium ſpecimina habeas ut, ſi cogeris, uti queas, & venditare pro honorabilibus artis ſecretis. Vale Lugd. Bat. 1728.



DE PODAGRÆ curatione ex lacte.

SUmmo cum gaudio perlegi gratiſſimas mihi litteras, quippe nuntiant quod mitior morbus eſt, & quod natura fert lactis uſum, unde certe ſemper lenimen ſummum. Semper equidem metueram, ne obeſum corpus, aliis aſſuetum, atque exacte in-

ter laxiora locandum, ſatis admitteret id alimenti: nunc periculo facto eſt ut gratuler de fauſto eventu. Faxit Deus plenam tibi, o amice, perennem faxit, a diris tormentis ſanationem! tu animoſus exemplo, conſtans in uſu, perſtes usque benefico & ſalutari. Videris ſubtiliter & vere ſuſpicari de gravi auditu lectiſſimi tui pignoris. Quod ſi vera hæc mali cauſa, numquid forte cenſes boni quid fieri ſi adhiberentur cum prudentia quæ viſcida ad glandulas fundunt? atqui mercurius dictus dulcis parca copia mixtus ad hydragoga fortunatos ſæpe habet eventus, ſi ante novilunium & plenilunium datur, ita ut triduo præcedenti ſic bis in menſe porrigatur.

Reſinam ſcammonei puto ſemper terendam cum pauxillo ſacchari: tollit viſcidum reſinæ, promptiorem ciet actionem.

Lætor quod methodo ſaponacea, alvum laxante, hæmorrhoidas ſtimulante, obtinueris meliora, quia hæcce tutiſſima puto; neque nocebit ſano quamdiu calor, ſitis, diſſolutio ſanguinis nimia, largiorem uſum haud prohibent. Crediderim excretionem ſanguinis ea via potiſſimum ſaponi deberi, prodeſſe igitur & eo nomine ſaponem. Tu, mi optime, vale, & utere diu agrimonia, betonica, meliſſa infuſis, ad inſtaurandos articulos debiles. Leydæ 18. Junii 1728.



DE SANGUINE DEPAUPERATO, & ſuccedente hydrope aſcite.

Videtur mihi, conſiderato morbo, quod uſu vitæ liberioris, ex nocturnis fatigationibus, vigiliis, æſtu, frigore, victu optimo, vinis generoſis,

ſis, ſpiritibus vini, denique immoderata doſi ſalis volatilis, omnes humores acres, nervi vero debito ſicciores evaſerint: utraque tandem cauſa concurrente, atque accedente animi perturbatione magna, incenſum eſſe morbum, qui jam fere radicatus, & veluti naturalis factus, quam maxima minitatur nervis mala, difficillimus curatu. Malo huic, magno ſatis, funeſto acceſſit augurio uteri per acerrimum ſanguinem aggeſtum in graviditate, inflammatio, vaſorum corruptio, ſanguinis jactura. Acerrima rurſum exhibita, ex vino Toccavienſi, ſpiritu ſalis, ſucco millepedum, auro fulminante (quod veneni fere vi agit, ut lapis infernalis auri) effecere ut credam invalidum evaſiſſe corpus ad conficiendum ex victu ſanguinem, ſed ingeſta ſponte corrumpi in corpore, in ichoroſas, ſemiputridas deficere vitæ vires; repleri corpus crudis, nec ſpem ſupereſſe, ut viſcera inſtaurari queant. Hæc ego, nec alia de ætiologia, diagnoſi, prognoſi. Vides, o amiciſſime, quam periculoſæ plenum aleæ opus æſtimem curationem ægræ ita aggredi, ut in ſanationem eat; dumque acerrima cum cura rem revolvi vix reperio firmi quid ſuadere ut poſſim. Omne quod ope humana tentari queat, in hiſce ponerem.

1. In ſublimi ædium parte, vulturno expoſita, inter lignea tabulata manſionem conſulerem.

2. Lectum, ſtragula, lodices, veſtes, ſemper ſicciſſima & calidiſſima curarem apponenda corpori, quoties ſe veſtibus induet, vel cubitum ibit.

3. Aer ſemper ſiccus, modice tepens, in conclavi ſuſtineatur ſubinde incenſu benzoini, maſtiches, olibani, ſuccini, paulo agilior redditus.

4. Potus eſto ex quatuor aquæ, una optimi moſellani partibus, quibus pauxillum ſucci aurantiorum Ulyſſiponenſium (poma de Sina) permiſtum ſit;

addito sacchari vel syrupi violacei tantillo: sed de hoc potu bibat parum simul, nec nisi ut sitim leniat.


Aqua foret Pouhountiana Spadana, vel Swalbacena, aut si similem virtute habes in vicinia, quæ vino miscenda.

5. Cibus vero ex meraco carnium jure, vel assis carnibus, piscibusque fluviatilibus, imprimis esto: tum hordeum, avena, milium, oryza, ad inspissationem densam cocta. Condimenta ex synapi, raphano rusticano, similibusque peti poterunt.

6. Si aqua copiosa certissime scitur in cavo abdominis, quod pondus ad stateram fidissime docet, atque cætera haud repugnent, paracentesis tentari poterit ope instrumenti triquetri, hoc modo. Fiant ex forti linteo, vel ex corio, aliquot cingula, lata, per fibulam ductilia, & astringenda, pro libitu. His cinnendum totum corpus abdominis a costis infimis usque ad hypogastria & pubem: fiat paracentesis, constricto prius per hæc cingula abdomine. Pro copia expressæ aquæ inter effluendum assiduo adducantur per suas fibulas cingula, quo ita vasa & viscera abdominalia tantum perpetuo constringantur adductis cingulis, ut educta aqua æque comprimantur, quam ab aqua ante eductionem; sic vice una exhaurire fas est omnem aquam; neque opus sævitiem vulnerum toties repetere, ut liquido intelligis. Paracentesi peracta, constrictio abdominis continuanda, donec sensim secure paululum remitti patitur, & sensim solvi potest.

Cin-

Cinguli figura.



7. Laudabo maxime veterem Ægyptiorum methodum ad eliciendas aquas absque corporis perturbatione, ſcilicet ut ad utraque crura bina vel terna epiſpatica de cantharidibus applicentur, cuticulam aperiant; teneantur diu aperta ut aqua libere exſtillare queat, unde illæſo ſanguine & viſceribus, natura ſe ab aqua liberet; cum purgantia nec certo agant, atque omnes actiones quam maxime lædant. Si loco cantharidum, cauſtico potentiali dicto, vel & actuali, ulcera inuris cruribus, tanto melius, quoniam magis ſtillant. Has methodos optimas commendo.

8. Pro medicamentis, hoc caſu acidula, balſamica, antiſeptica laudo: itaque deglutiat omni hora, 7, 8, 9, 10, 11, antemeridiana pilulas iij. A, ſuperbibens unciam potionis B, idque in ſpatium menſis.

9. Vectione, frictione, motu corpus exercendum; quo plus, eo rectius.

A.

℞. *Ammoniac. gumm.* ℥ j.
Bulb. recent. ari ℥ jß.
Opoponac.
Terebint. aa. ℥ ß.
M. f. pilul. gr. iij.

B.

♃. *Aq. ſtill. bacc. junip. cohobat.* ℔. ij.
Rob. baccar. junip. ℥ vj.
Sp. junip. cohobat. ℥. iiij.
Sp. nitri dulc. ℥. j.
Sal. polychr. ℥. j.

Vale, mi optime, meque tuo utere, fruere. Leydæ $17\frac{17}{8}28$.

DE TERTIANA FEBRE
podagrici.

O Factum bene! beaſti me, metuebam ne quid mali paſſus eſſes; neque auſus fui ſcribere, dum omnia tuta timeo. Quam ſerio gaudeo recte te valere, podraga fere immunem, neque expuliſſe ſalutarem tertianam, quæ ſibi commiſſa & rite gubernata, ſaluberrima habetur adverſus podagrica & hypochondriaca, medicina! O ſi memores forent mortales antiquiſſimi obſervati, febres molimina naturæ humanæ quibus ſemet expediat ab hoſpitante intus malo, nunquam ſupprimendas igitur ſed moderandas ſapienti directione in uſus a natura affectatos! Vale o ſuaviſſime ***, & me toto tuo utere. Leydæ 26. Oct. 1729.

DE PODAGRÆ
Curatione.

ACcepi quæ ad me miſiſti, integra. Beaſti me, gratias ago, quod ſalvus bis tranſiviſti Neptuni regna. Utinam illa Domina dolorum infeſta tibi ærumnis terraque marique non dominaretur, eademque

demque crudelitate utrobique tyrannidem exerceret. Eſt vero mera in te vitæ vis, quæ de tenui victu ſpiſſamenta cogit inflammationi generandæ nimis apta. Hanc tamen debellare ſi nefas, leniter dabitur operari. Jejunus ventriculus hauriat uncias quatuor frigidæ puræ aquæ hora ante jentaculum, claudat par hauſtus cœnam. Nitri eſto parcus ſimul, ac crebrior uſus; frictio frequens, ad ſolos vero articulos. Quæſo mitte cætera: ſimplex hoc ſequere bimeſtri ſpatio. Ego interea parabo Paracelſi antipodagricum: experiar prius in aliis. Dein dabo.

Gratias ago maximas pro pulcherrimo dono muſico quo filiam ditaſti: grates illa ingentes agit, non ſine verecundia, ocyſſimeque ſe dedit exercitationi.

Me vero quod attinet, liberatus dudum fui ingenti fruſto ſideratæ carnis, quæ mortua excidit de gangræna, quam horruiſti. Jam cavum nova plenum carne, ſenſimque coeuns; ſolideſcit locus; conditionem noviſti aridæ plagæ jam ante dimidiatum ſæculum nudatæ ab omni adipe, hinc ſtrigoſæ prorſus; facileque proſpicis, futuram cicatricem tenuiſſimam, eamque membranæ accretam muſculorum: unde obſequioſa minus hærebit loco rigiditas, cui leniendæ paravi oleum de cera, geminata ſtillatione penetrabile & mite. Hiat jam ſuperficies extima, cruda adhuc, ſed pura & ſine fundo, denarii amplitudine. Aqua certe tua de ſale parata ammoniaco & ſulphure, pulchertima præſtitit.

Libellum Lobbii de variolis ſatis reperi laudabilem: patiens eſt laborum, veri avidus, & ſatis in ſentiendo liber.

Jam doleo quod femoris apertum adhuc malum prohibeat excurrere Roterdamum. Sed momentanea collocatio nonne foret acerbæ divulſionis integratio?

animo, ſic voluit Deus! præſente tecum, abſentis amici impreſſam contueor imaginem. His me reliquis paſco, facitque ſæculi beatitudo ut litterarum ſit liberum commercium.

His fruamur, o bone, donec puræ labe animæ in elyſiis beatorum campis Deum ament, venerentur, conſpirante in nudum amorem ardore! vale, o optime, creditoque mandata facta. Leydæ 1731.

Malum meum pejus haud eſt, ſed lento tendit gradu in melius. Miſcui balſamum a te laudatum digeſtivo priori, ſicque applicui eventu bono ſatis, interim & foveo medicata aqua, quæ juvat quam plurimum. Vere ſentis vaſa arcta, pingui membrana carentia, lenta ariditate obſtare humectæ, mollique vaſorum extenſioni, hinc tardare mortui ſeparationem, viventisque ſupplementa. Quid vero aliud a cicatrice ſemiſæculum vetuſta expectari poterat? credo interim ſanatum iri, imprimis quum ſequar ſapiens & fidele conſilium quo me juvas: vale, Leydæ 1731.



DE SAPONIS USU.

EXultavi præ gaudio ut inſcriptionem vidi litterarum; ubi autem perlegi, quaſi fulmine ictus ſum & perculſus; nec eſt penes me, quo juſtum tanta ex jactura animi dolorem amico meo leniam. Millies cogitavi Jobum univerſis ſimul elapſum bonis, liberis orbum, tormentis diſcruciatum, pie dixiſſe & ſapienter, *Deus dedit, abſtulit Deus, gratias agamus Domino*. Te, amicorum optime, ea jam ornavit ſtatione Numen, ut ſi ſanitas modo ſufficit, opes ſatis colligere poteris pro te, & cara filia; cumque Cæſarea te obumbret Majeſtas, ſpero reddi-

turum

turum solidum quod perditum reputaveras. Sis bono animo! caveas veterem malancholiam! ama unice amabilem Jovem, cætera dormienti confecta dabit. Moneam interea antiquos jubere Batavos ne unquam numerosa nimis ova vel optimæ supponamus gallinæ, sed dividere potius sortem inter plures usurarios: tutius hoc, licet forte paulo laboriosius.

Ratio vitæ, quam instituisti, laudabilis imprimis mihi videtur. Saponis & nitri quotidianus hac dosi usus mira præstabit: id multis manifestis didici exemplis. Illum examinavi cujus mihi specimen dedisti, & inveni sane quam pulcherrimum omni quidem nota saponem: quare vel meo periculo audacter eodem utere; proderit.

Sapo hic, vacuo receptus ventriculo, cum levi corporis motu, pede, rheda, equo, in actum deductus, & unciæ unius alteriusve aquæ frigidæ haustu adjecto, dissolvit lentores mucosos in stomacho, intestinisque retrementis; obsessa inde oscula arteriosa & venosa detergit; motumque liberum humorum per hæc vascula expedit, sicque officinam primam mundat, muneri aptat, acida coagulata resolvit, mitificat.

Novisti lixivium saponis misceri omni equidem noto corporum generi; inde potui, chylo, humori venarum mesentericarum, mistus, in venas it hepatis, vesiculæ fellis, promptuaria horum & emissaria aperiens; confectum bilis juvat, motum incitat, officium promovet: neque minus beneficii leni, nervisque amico, stimulo, partium inertiam excutit, virtutem animat. In ipso autem sanguine adeo est fere universale remedium, ut spissa incidendo, coeuntia resolvendo, solutam morbi materiem per illa urgendo, fere faciat quod de sale tartari reddito vo-

latili magnus Helmontius promittit. Ex his cernere est quæ verissima: hercle vix aliunde plus solatii in chronicis malis; fateorque felicissimos mihi in his præstitos successus saponis crebro usu & diu protracto adscribendos fuisse. Unum si velis dabo exemplum.

Vir fortis, cereri, baccho, veneri immaniter deditus, semper in extremam usque senectam absque ullo morbo validus, solebat semper ante prandium vacuo ventriculo immittere pilulas de hoc sapone confectas, adeo insigni effectu ut nihil fere unquam senserit in quotidianis semper commessationibus ad exemplum immersus. Non alius cujus corpus pius ad podagram a natura vergeret, nec alius podagræ conciliandæ plus operæ dederit, nunquam tamen ille ea infestatus.

Utendum est sapone ter in die vacuo ventriculo singulis vicibus pondere scrupuli reducti in pillulas juxta modum supra memoratum. Continuari potest usus in longam diem, quia raro sic nocet, vel integro protractus anno. In uno tantum casu noxium deprehendi; quoties nimirum acerrimæ bilis abundans copia nimis fundit & liquefacit humores, abradit & erodit viscera, atque intime dissolvit sanguinem, qui deinde, sudoris specie dimanans de corpore, tabificam creat totius emaciationem, cum calore molesto hectico. Nocet etiam iis qui laborant cacochymia putrida alcalescente oleosa, queis habitus oris cadaver spirat, urina fœtet, recrementa alvi putrefactum prorsus olent, pulsus arteriarum exiles, præcipites tamen & hectici. Tandem in peste, capite putridorum morborum, exitialem esse, multiplicatis experimentis observavit laboriosissimus noster Diemerbroeckius. Tu, qui leges corporis humani penitus intelligis, pulchre cernis, tibi, tuisque convenire

venire malis, si aqua capitur, vel succus graminis recens demulsi ad uncias binas ternasve. Quotidie vacuo ingestus stomacho fere idem præstat, quem tota ego elapsa æstate religiosa observatione bibi læto usque eventu contra insultus nephriticos, arthriticosque. Sed sapo semper præsto, semper paratus, utique commodior. Atque ea quidem crediderim respondere quæsitis tuis circa hancce rem; sed tu vale, mi optime, bene age, & lætare. Leydæ 1732.

DE ABSYNTHII, & aristolochiæ longæ noxa.

GAvisus ago gratias quod liberaveris magno me metu, neque enim causam reperi tam diuturni silentii in viro amico nisi forte immanius quid passo &c.

Usus absynthii sæpe nocet oculis, sed monet incipiens hallucinatio, quæ quamdiu non advertitur licet pergere.

Radix aristolochiæ longe podagram lenit, sed vitam fecit brevem plerisque utentium. Cave. Remittam libros quos petis. Potes Principi Eugenio offerre unum, alium retinere tibi; fac autem id tuo nomine: neque enim ambio, nec volo innotescere Heroibus &c.

Remedia singularia vix novi, nisi ens veneris Helmontii, magnum in morbis multis remedium. Si vis mittam aliquid propria manu paratum, ut & ♁ diaphoreticum Helmontii, utraque bona, sed multo labore facta. Vale & scias &c.

DE INCIDENDIS
& vacuandis humoribus.

Euge! Desideratas diu & expectatas exosculatus sum litteras, quibus te vivere intellexi: utinam datum fuisset simul & te valere in eisdem legissem! re expensa, credo si triduo ante plenilunium, semel mane, jejunus, haurires pulvisculum A mistum in semi uncia syrup. violacei, & post horam dein jus non salitum vitulinum, atque eodem die pro prandio iterum illud jus, sedulo cavendo ea die ab omni acido, purgabit alvum. Decem horis postquam assumptus fuerit, haustulus B bibendus. Id non nocebit; promittit resolutionem coacti, plenitudinis diminutionem: spero proderit.

Maximas vero grates tibi, pro opera mihi præstita in tradendis libris &c.

A.

℞. *Sacchari* gr. iij.
Scammonei lectissimi gr. ix.
Stib. diaphor. bene abluti gr. xx.

M. in mortario vitreo diu terendo f. pulvis tenuissimus pro una dosi.

B.

℞. *Aq. still. meliss. menth.* aa. ℥. j.
Sp. cort. citrei ʒ j.
Syrup. diacodii ʒ. ij.
Tinct. opii gut. xvj.

M. F. hastulus.



DE PODAGRÆ *curatione.*

GAudeo de recuperata valetudine tua qua mihi vix aliud habetur pretiosius; quam stabilem faxit & incolumem tibi Deus! quas vero grates agam, quod amice me participem feceris rei adeo mihi optatæ? Quam mira debet latere humorum degeneratio in corpore quæ ad tenerrima ligamenta articulorum per spissitudinem detenta, dolores, immobilitatem, denique infirmitatem relinquat, vel excitet! Utinam huic fundendæ expellendæque, certa simul & tuta methodus atque remedia haberentur! sane sunt mihi rationes validæ quæ persuadent id obtineri tandem posse per remedia hydragoga, inter quæ princeps id est, quod mea paratum manu misi, cujus indicavi usum; quippe nihil tutius, qui carissimæ conjugi & unicæ meæ filiæ crebro id exhibui, blando & egregio successu. Nihil habeo efficacius, cum mirifice attenuet. Certus sum, si usurpare deliberas, ut commendavi prius, nequaquam damnosum experieris ullo respectu podagrisanti. Si prosore invenis, parabo tibi quantum pro te voles, jusserisque: requirit namque peritum in hisce artificem. Si interea loci quotidie biberis uncias sex succi recentis pressi de recentibus, repurgatis, in pultem contusis herbis, *anthoræ*, *beccabungæ*, *cochleariæ*, *endiviæ*, *graminis*, *nasturtii aquatici*, mane vacuo ventriculo, puto omnino te tandem longo usu dissoluturum diram pituitam, mitificaturum rodens acre, & instauraturum infirmos articulos. Poteris & bis in anno sanguinem mittere, ut saltem *Gallicismum* plus colas,

& vel

& vel ita quoque humores densatos attenues. Mihi sane creditur summa cum ratione cessurum his remediis malum; quod velit Deus imploratus meis precibus!

In praxi medica deprehendi omnes mihi obviam factas febres intermittentes sanari illo pulvere, quem tibi misi, si datur sex horis ante exacerbationem cum pauco syrupo sacchari candidi; idque ita fit in tertiam vicem diebus febrilibus. Quartanæ ipsæ cedunt, ter quaterve ita tractatæ. Nec quinquina, nisi raro, opus. Estque operatio lenissima, qua pauperes quam plurimos certus sano.

Jam fere anni spatio versor in parando remedio ex calcantho vero (vitriolo cupri) ad morbum epilepticum, & jam incredibilia vidi, ut & in hystericis. Ubi perfecero videbis. Sed haud potui hic genuinum reperire, cœruleum instar saphyri, vitriolum hungaricum, ne summa quidem diligentia, & pretium offerens: quod comparare potui, fuit parum admodum cœruleum, magis viride, attamen laudabilia dedit. Vale. Leydæ. 1733.



DE INCIDENDIS humoribus.

GAudebam quando litteras vidi quibus me recreasti, quia nuntiabant te carissimum caput mitius habere; utinam tandem aliquando lenirentur cruciatus & debilitas inde reliqua! me sane dolores acerbissimi a duodecim fere annis intactum reliquere, ea tamen lege, ut quotannis verno tempore per tres menses sedulo utar, & quotidie, largissimis potibus ex agrimonia, beccabunga, betonica, melissa, nasturtio aquatico in sero lactis deco-

decoctis ; his certe indolentiam tribuo . Quoniam hyeme prisci monumenta doloris ægre semper persentisco. Vale. Leydæ 1734.



De Puerperarum, *aut partui vicinarum variolis.*

LÆtus intelligo ex iis quas 13. hujus mensis ad me dedisti, quod meas cum syngraphis accepisses. Gratias ago pro commendato opere. Id pulcherrima habet multa & singularia. Typographi vero dudum numerum ingentem habent eorum qui concurrerunt ad promovendam editionem, quæ jam satis feliciter procedit.

Quæ de mea erga te amicitia atque beneficentia commemoras, tribuo, ut multa alia, animo generoso, quo regum opes æquare soles. Sane si sederemus ad rationes, debitor ego tibi essem qui magno cum pudore quotidie reputo quot nominibus tuæ benevolentiæ onerosus fuerim, & quam fuerit exiguum illud, quod ipse tibi efficere potui. Utinam esset in me tibi gratum quod esset & utile! efficiendo illud contentus viverem. Cogitavi serio de te quæ te sollicitat; meditatus hæc respondeo; tu pondera & corrige.


Si fœmina partui proxima, aut puerpera, sana prius, succi plena & sanguinis, semperque large menstruorum evacuationi assueta, malignis corripitur variolis, forte semel haud ita multum sanguinis educerem, si res id exigeret, per æstum, plenitudinem pulsuum, aliter non: quoniam a partu tanta laxitas vasorum, tam proclivis in putredinem lapsus, maxime circa systema uteri, & tam formidabilis spirituum in nervis perturbatio. Utique dolor

lor ad lumbos, pulſus ſola æquabili velocitate peccans, lochia parca, lac nullum, ſitis aucta, ſatis videntur arguere quod ſanguis in ampliſſimis vaſis uterinis computreſcens, atque malignam ibidem inflammationem excitans, delirio atque diarrhœa fatali ſe manifeſtaverit. Notabile imprimis ſtatim a partu, fœtu, placenta, aquis modo expulſis, abdomen mollem, non jam diſtentum, ſed flaccidum prorſus; hinc vaſa ſanguifera paulo ante compreſſa, jam ſubito laxa, ſanguinem corde expulſum facile admittunt in ſe, avertunt a reliquis partibus, accumulant in arteriis venisque ſitis in abdomine, præcipue uterinis locis, ubi ampliſſima jam, ſed ſimul, collapſo utero, inertiſſima vaſa. Apparet hinc quanta huic ſanguini proclivitas ad putreſcendum, præcipue aere nunc libere in uteri cavum admiſſo & veneno variolarum adeo putrefaciente jam quoque agitante omnia. En amiciſſime B***, cauſam quæ creditur feciſſe, ut putredo hinc concepta eluſerit omnem curam. Magna evacuatio minuit quidem impetum motus, ſed prohibet expurgationem ſanguinis qui hæret in canalibus calamum ſcriptorium æquantibus, ſed inertibus jam. Summum remedium quo hæc mala avertuntur, eſt corpus puerperæ ſtatim a partu faſciis latis arcte aſtringere, ut ita conſtrictum abdomen urgens viſcera expellat ſanguinem per patula in pelvi vaſa. Cæterum puto ſic ſimul prophylactice curatum iri illam diarrhœam quam putredini humores liquefacienti tribuo. Interim victum ex avenæ decocto, ſorbendo ad uncias quatuor omni bihorio, commendo, in quo pauxillum cinnamomi intabuit, & cui ſemper tempore uſus duodecima pars vini rhenani cum pauco ſalis grano admixta ſit. Præterea vellem tertia quaque hora diei dare pulverem hunc, qui fit ex crem.

tart.

rt. gr. v. flor. sulph. gr. vj. nitri purissimi gr. ij. bii diaphoretici bene præparati, sed non abluti . vj. hora vero a meridie tertia narcoticum ex tinura opii cum spiritu vini facta ad guttas xij. ex rupo acidi citri ad ℥ß.

Potus optimus lac duabus aquæ partibus dilutum; ma acida assa, coctave, pultes avenaceæ, horaceæ, vel ex oriza parate, jura carnium acido ri & pauco sale condita, etiam licita sunt. En, time amicorum, quæ consulta offero, ut & tibi c emendaturo opportuna sit materies cogitandi, mihi liceat parere jussis. Vale, Leydæ 1736.



DE AUDITU GRAVI.

Uge! recte! feliciter! en tandem expectata venit epistola, venit cara: a te est, de te boquid nunciat? Quam sincerus gaudeo! utinam perficiatur tibi sanitas constans! laudabo capel-, si nectare suo profuerint. Accepi cistulam cum ilium calcanthorum frustis illibatis; quæ examia pulchra inveni, pro quibus gratias ago manas.

Operum Suammerdammianorum primus in folio nus jam evulgatus est; Januario hujus anni re-i ad te syngraphas, quæ ad eos pertinent qui scripsere pro editione. Debent igitur mittere ilsyngraphas ad quemdam Bataviæ incolam qui mplaria petat a typographis. Tomus alter etiam vi evulgabitur, sicque finitum erit opus, sane cherrimum.

Dolet mihi, quod mitissima tua filia laboret au-u gravi; certe cataplasma de pulpis cæparum, cineribus assatis, cum galbani pauxillo, & olei

castorei, optimum est quod novi ad hæc incommoda, potissimum quidem, quoties simul mane & vesperi, loca auribus vicina, in ambitu diu & fortiter perfricantur. Oportebit sane scrutari, si forte obstaculi quid in meatu auditorio externo, ut emolliente ex melle mercuriali injectione repurgetur locus. An cæterum bene valet? an non cogitas de conjugio felici, dum vivis, ipsi conciliando?

Mea filia tibi venerationis officia offert, & pulchræ B*** amicitiam, rogatque an cantet crebro &c. &c.



DE VARIOLARUM.
curatione.

Hisce gratias ago quod certum me feceris salutis tuæ, atque indolentiæ; hanc stabilem tibi præstet Deus precor. Gaudeo impense quod corpus lac ferat, victui multum dispari assuetum: quamdiu eo uteris, & quidem solo, recte valebis: sic vidi quam parum restat homini, ut se redimat a malo. Opes quo si uti nefas! sed aqua & polenta Epicuro satis, ut de felicitate contenderet cum Diis, ambrosia, & nectare fruentibus. Magna sane beatitudinis pars quod filiam habeas ingenio & moribus placentem; diu ea gaudeas in solatium vitæ. Mea illi officia sua deferenda commendavit, agitque grates pro missa melodia Baldaviana quam maximas. Sed oblita forte fuit B***, quod in opulenta olim gaz musica qua beavit Boerhaaviam, jam & hanc quoque benefice inscriptam fuisse, sed eo quidem nomine magis adeo obstrictam se grata agnoscit, & querula quod nesciat rependere debitam vicem.

Quæ quæris ex me scire, libens aperirem; sed raro

ro in commentarios refero acta. Scis quam sim miser laboribus? soleo pro re nata consilia capere, remedia, & agendi rationes eligere; neque certum ex uno casu ad alium argumentari. Hinc accurata referre nequeo gesta, neque suis quoque temporibus dividere; sic se fere res habuit. Juvenis 22. annos natus in India, rubustus, dives, luxui perdite deditus, vino elicitis inde spiritibus, opiparis mensis, peregrinationibus, exercitiis immoderatis uti suetus, media æstate debacchatus solito jam immanius, hinc febre ardente, dolore capitis summo, vomitu assiduo, angore terribili, inquietudine perpetua, somno turbulentissimo. Amstelodamo Leydam vehitur velociter, ut consilia petat. Nihil de variolis suspicans, mitto sanguinem largiter, ocyssime. Statim purgans de cremore tartari, nitro, pulpa tamarindorum, rheo, exhibeo dosi larga. Id recte purgavit. Potum exhibeo ex radicibus acetosæ pratensis, graminis, scorzoneræ, una cum tamarindis incoctis, nitro addito & succo inspissato baccarum sambuci liberaliter admisto; unde multum ille & assidue bibit. Ad sitim vero, quæ insatiabilis illi erat, utebatur aqua cum succo recenti presso limoniorum, cum pauxillo succi ribesiorum & syrupo violaceo. Addebatur subinde & pauxillum vini mosellani. Decumbebat in lectica aperta, corio russico obducta, in cubiculo temperate frigido, apertis semper portis. Contra omnia hæc insurgebat atrocior morbus. Urina flammea, æstus exurens, profusus sudor, somnus fere furibundus, lingua sordide fusca, taurini oculi igne & sanguine suffusi. Itaque die sequenti nondum apparentibus indicibus variolarum, eadem omnia æque libere repeto; neque prohibetur adscensio increscentis per omnia mali. Sed paulo post omnis conspicua totius capitis pars ubi-

que minutissimis punctulis rubris, proxime junctis, fœda, oculi lacrymantes, rubri, sternutatio, tussis. Serio diu meditatus, gaudeo acta quæ inflammationi adversa; metuo suppurationis & gangrenæ dira ventura effecta; his cavendis invigilo. Mane & vesperi pediluvia ex aqua & vigesima parte aceti. Cavis pedum & poplitum, fermentum panis acidum, aceto & nitro permixtis, noctes diesque applico. Temporibus placentas rosaceas, aceto rosaceo, & sambucino irroratas, appono, sæpe renovandas. Jubeo sedeat erectus, quantum ferre potest; decubitum in lectica, loco obscurissimo, modice frigido; silentia muta ministrantium, impero. Decoctum avenæ in aqua, cum succo limonum grato, lac ebutiratum coctum cum avena. Cerasa nigra, acidula, morellis contusis, cum suis nucleis in sero lactis cocta, per setaceum pressa, pauca saccharo grata, cum intrito pulvisculo panis biscocti, pro cibo exhibeo; nec aliud dari passus sum. Potus erat coffe cum $\frac{1}{4}$ lactis: thea bohea cum $\frac{1}{3}$ lactis, cerevisia levis, serum lactis, aqua pura cum pauxillo succi limonum. Decocto tamarindorum supra descripto utebatur toto morbi decursu, ea quotidie copia, ut semper quater interdiu alvum laxaret, usque ad quartam decimam morbi diem. Hora tertia, quotidie sumebat haustum soporatum ex aq. still. flor. rhead. unc. iij. opii pur. gran. ij. sp. sulphur. p. camp. gutt. vj. syrup. violar. ℥s. accessere interim deliria, furores, convulsiones diræ, obmutescentiæ. Perrexi semper eodem modo. Post diem quintum morbi, semper ad decimum quartum, sumpsit omni quadrihorio pulvisculum ex cinnabar. nativæ hung. gr. vj. flor. sulph. ʒ. ij. stib. diaphor. non ablut. a nitro fixante ʒ. ß. m. f. pulv. tenuis, divide in xij. dos. Sæpe utebatur ad asperita-

ta-

tatem dolentis gutturis emulsione ex 4. sem. frigid. maj. amygdalis cum syrup. althææ Fernelii, gargarismate assiduo ex decocto ficuum; erant enim omnia obsessa & ulcerata, eo usque ut omnis corporis cutis una tamen foret exulcerata eo usque crusta; quam post diem undecimam, jam penitus aridam, quater interdiu oleo recens presso de amygdalis apprime inungendam curavi. Sensim tum vino rhenano, jure carnium, refocillans vires, omnia superavi mala. Vivit usque Legati Gallorum uxor sex menses gravida, correpta virulentissimis variolis, secunda statim die effusissime erumpentibus, cum pessimis symptomatibus, maxime in cerebro, missione sanguinis liberali statim facta; decoctis similibus utens, ut bis quotidie alvum deponeret; opiato vesperi ad gr. j. similibus pulveribus, omnique alio regimine, ut prius tractabatur. Huic tamen pultes avenaceæ, jura vitulina leviora cum diu incocta oriza, cerasa recentia cocta in ebutyrato lacte cum pauco pane biscocto largius oblata, respectu fœtus. In illa tanta variolarum vi, ut prorsus incredibili, sanata, integra tempestive pulchrum enixa filium, non passum variolas in utero. Id balneum vitale amnii prohibuit; vivit bene sana illa, & ille robustus vivit. Interim monendum accidere quandoque in hoc morbo, ut venenum variolarum plus noceat spiritus projiciendo penitus, quam inflammando corpus: tum æstus haud adeo magnus; pulsus creber, debilis prorsus; deliria levia, virium projectio, variolæ lentæ, planæ, parvæ, depressæ, non adsurgentes; interstitia pustularum languida, pallida; certa mortis indicia. Tum feces alvi solutæ, cadaveroso fœtore, colore fusco, debilitantes, deliria, vox clangosa. His casibus methodus dicta obest. Morbus ex se lethalis. Tum rad. contrayerv. ℨ.j.

ſerpentar. virg. ʒ. ß. rutæ recent. ℥. s. infund. cum aq. ſtill. rutæ ℔. j. vini rhenani ℥. vj. add. ſacch. ʒ. iv. bibat ℥. j. omni hora fervide , ſuperbibens decoctum ſcorzoneræ ut excitentur vires. Dein pro re nata inſtituantur regimina. Vale o amantiſſime! Leydæ 17 $\frac{3}{4}$ 36.



DE THERMARUM
Aquis-Granienſium uſu.

GRatulor tibi felicem ad balnea Aquis-granenſia adventum!, conſilii ſimul & ſucceſſum precor. Circa uſum multa quæ addam creberrimo uſu probatis legibus , ſane vix habeo . Commodiſſimum equidem videtur mane potare aquas, easque corporis motu promovere. Prandio dein ſicco , vinoque meraco inflammatum corpus pomeridiano tempore iterum excitare , ut circa veſperam molliatur balneatione, atque circa egreſſum ex balneo optimum eſt frictione abdominalia agitare, atque hypogaſtria imprimis, diemque finire brevi cœna. Sapienter profecto ſpectaſti æque corporis in aere aſſidue mutato concuſſus , itinerisque effectum in conſilio, quam ipſum thermarum emolumentum; maxime cum hæc uſum balnei præcedant atque ſequantur ; ego interim quæſitam de induſtria occaſionem adhibebo, ut ſatisfaciam iis quæ a facultate mea nuperrime petiviſti , ſum enim tibi magis quam vellem obſtrictus. Vale. Leydæ 1736.

DE VOMICA PULMONIS.

ME prehendit vomica in pulmone, ſpiritum præfocans ad leviſſimos corporis motus, a tribus ab hinc menſibus quotidie increſcens. Si clauſa augetur, opprimet, ſi vero rumpitur, eventus incertus. Quidquid fiet, id omne continget ex arbitrio ſupremi numinis; cur ego metuam? quid cupiam aliud? adoremus Deum! ſufficit. Interim curo ſedulo ut lectiſſima adhibeam remedia, ut leniam & maturem. Securus de exitu vixi ultra ſexaginta & octo annos ſemper lætus. Tu vale, o optime, & vive diu & feliciter. Leydæ 16. Martii 1738.

DE DYSPNOEA.

EGo æger anxietates ſupra vires tuli: omni fere momento ſuffocatus a terribili diſpnœa. Acceſſere poſtea anguſtiæ hypochondriacæ exquiſitiſſimæ. Tandem vero & diræ ideæ hæc omnia pervigilem noctes egere dieſque, ut vix triſtius quid ferre potuerit natura humana: poſtremo aqua intercus, oſcheocele, anaſarca, phimoſis formidabilis una cum moleſtiſſimis ſymptomatibus, donec crepante epidermide aqua ſe exoneraverit multum hac via: unde ulceratis partibus jam laboro. Hæc mea vita, quæ placet tamen, quia ſic viſum Deo, cujus abſolutiſſimum jus in me agnoſco, amo, adoro: id orans, liceat pati patienter, & cum laude infinita ſummi numinis, id omne quod vult ut patiar. Experior quotidie, quod poſt triſtiſſima quæque diu tolerata, ſerena deluceant intervalla. Dul-

ce est de te inter hæc cogitare, qui boni viri speciem vita tota exprimis, cui parem necdum reperi: regum certe opes animo æquas, vere generosus amicus. Doleo quod non potuerim dignas tibi vices reddere unquam, sed intra verba inania & vota stetisse omne id quod reipsa præstitisse debueram tibi, cui semper optime volui. Vale. Leydæ 19. Jul. 1738.



CALCULI IN VESICA *suspicio.*

EXaminavi historiam mali hanc quo urgetur Comes Illustrissimus. Re perpensa, vereor ne sit calculus, olim ortus in rene, inde excussus in vesicam, ibidem jam hospitans, utinam haud increscens! Id sane malorum concurrentium consideratio nimis videtur docere. Id vero mali hac ætate, (*a*) hyeme jam præsente, in corpore priores morbos, horumque dura remedia passo; tum increscens satis contra saluberrima medicamenta, & methodum adhibita, parum spei relinquunt.

Cibo utendum ex cerealibus, lenioribus oleribus, jure carnium, carne alba. Moderata copia capiendus ille, sed ter quaterve repetendo in die: potus optimus mulsa recens, parum vini & tantum levioris. Motus prodest, creber utique; sed lenis valde, ne offendat vesicam. Quies ex se hoc in malo pessima: quare oportebit lente, & sensim motum instituere, cavendo prudenter mala quæ a quiete oriuntur, neque minus illa quæ nimio motui ortum debent. Somnus plenior, & vespere mature inchoatus

(*a*) Octogenariu. erat.

tus longe ante decimam proderit; vitando tamen incubitum in lectos plumis gravidos.

Mane statim a somno erunt deglutiendæ pilulæ quinque A, statimque sorbendo super his uncias tres de apozemate B: hæc mire demulcent asperitates quæ lædunt tenerrimi sensus nervos in vesica, & natum tenesmum ad intestina: hoc idem eodem modo fieri oportet hora ante prandium, ut mane sumi debet ante jentaculum. Hora quoque sexta, vesperi, idem pro vice tertia debebit repeti, ut vacuis a cibo visceribus perluantur meatus renum & vesicæ, sed & simul etiam liberentur ab omni saburra, quæ aliter manet in corpore, & facile admodum adcrescit, nato jam in vesica calculo. Quin aliquoties observatum fuit continuato diu satis talium usu lapidem diminutum fuisse ac tandem quoque haud incommode depulsum ex corpore: quod utinam hic fiat! quod si tamen hisce per binos menses ea lege in usum protractis levaminis nihil obtinebitur, tum equidem oportet explorare catheteris ope an calculus ibidem certo lateat; quo quidem vere deprehenso necesse foret periclitari an manu periti Chirurgi per sectionem educi queat. Fateor quidem obstare ætatem, sed & plurima prostant exempla eorum qui altiori etiam ætate fortunato inde sanati fuerunt. Certe aliud exploratum remedium non habetur, & mortalibus vere cognitum. Hæc ea sunt quæ potui meditatus proferre ad hunc morbum, quæ Deus fortunare velit. Scripsi Leydæ $17\frac{8}{12}37$.

A

℞. *Cassiæ recent. pulp.* dr. j.
Croci optimi gr. xv.
Mann. drach. ij.
Rhei dr. ss.

Suc-

Succi glycyrrhiz. dr. IV.
Terebinthin. dr. j.
F. pil. ſingulæ gr. IV.

B

♃. *Rad. contuſ. recent. gramin.* unc. iij.
Scorzoner.
Siſari,
Tragopogon. an. unc. ij.

Cum aq. per horam coque, adde
Rad. recent. contuſ. fœnicul. unc. j.
glycyrrhiz. unc. j. ſs.
Semin. fœnicul. contuſ. dr. vj.

Ebulliant iterum parum clauſo vaſe, deinde ℔IV. decocti exhibe.

Vixit adhuc ſub iis malis æger ille biennio: aperto poſt mortem cadavere, calculus in ſacco ad fundum veſicæ formato prægrandis inventus eſt: Arteria iliaca fere tota oſſea: flexura quoque inteſtini coli: pulmo ſiniſter fere integer comſumptus apparuit.



DE TUMORIBUS ex hæmorroidibus diu male tractatis relictis, & in carcinomatis naturam converſis.

MAlum, quo laborat Illuſtriſſimus Comes, attentiſſimus conſideravi, ſtatimque, ut ſemper ſoleo, litteras acceptas combuſſi, ne ulli deinceps pateant. Doleo calamitatem miſerrimam magnanimi Herois, ſive reſpiciam morbi pertinacis atrociam, ſive dolorifica quæ paſſus fuit, heu ſine ſalute! remedia, licet ex arte optima. Non cenſeo opus fore ut me conveniat, quia melioribus ipſe utitur, & quoniam ex accurata deſcriptione morbi quam mihi dediſti, intelligio ſatis, ſuperque, quid ſecundum mearum

facultatum tenuitatem censeam agendum ad lenimen mali, unde forte & sanatio tandem parari queat, ita quidem ut præsens ipse salubriora adferre haud possem.

Opus erit efficere ut cibi, potus, medicamina, talia modo corpori præbeantur, quæ humores mitificent, lubricent, viscera, excrementa amolliant, eaque ratione omnia dolorum irritamenta sopiant.

Ipsa vero mala in loco nata extirpationem radicitus faciendam haud admittunt: quia originem habent in interioribus, & secta vel usta ferocius arcebescent; ideo putem ea modo tractanda esse, ut carcinomata leniri solent a prudentibus. Sæpe mitescunt lenibus, quæ generosiori agitata stimulo aspe-rantur, & medendo ægrescunt. Cibi ergo ex avena, fagopyro, hordeo, millio, secali, tritico, oriza, prunis, uvis passis, uvis corinthiacis, atriplice, beta, endivia, lactuca, scorzonera, sisaro, spinachia, tragopogono, brassica rubra, parentur.

Lac, lactis cremor, ova tremula, jura carnium, cum vegetantibus prioribus omni modo parata, caro recens assa, commendantur.

Acria aromata, salsa, fumo durata, vel siccata in aere, condita titulo *haut gout* vel *ragout*, improbantur.

Cibi quater in die, parciore copia simul sumpti proderunt; cremor recens lactis, & medulla ex ossibus bubulis, aut & lac cum saccharo optima pro jentaculo.

Potus optimus foret ex mulsa recente cum pauxillo lactis.

Pro medicamentis suadeo ut omni trihorio diei deglutiantur tres pilulæ A, sorbendo desuper binas uncias de decocto B, mane in vesperam.

Extrinsecus propono ut pars afflicta quater interdiu

diu singulis vicibus semihorii spatio foveatur liquore C pannis lanneis excepto calido, & humido ita retento hoc tempore: tum lenissime detergeantur, atque tegantur linimento D cum plumaceolo imposito, quod & tota nocte applicatum teneatur. Partes interim quam minime moveantur. Glandulis ad inguina duris emplastrum de mucilaginibus salubre.

Thermæ Carolinæ omni modo proderunt.

Hæc ea sunt, quæ acerrima meditatione dictata liberrimæ sapientiorum emendationi relinquo. Deum veneror, aspiret tuo molimini in salutem consultorum. Vale, Leydæ 17 $\frac{29}{3}$ 35.

A.

℞. *Cremor tart.*
Man. optim. } an. dr. j.
Pulp. cassiæ dr. jß.
Succi glycyrrhiz. inspissat. dr. ijß.
M. F. pilul. gr. v.

B

℞. *Flor. althææ*
sambuc. an. unc. ß.
Fol. althææ m. j. ß.
verbasc. m. ß.
Rad. althææ dr. ij.
glycyrrhiz. unc. j.
gramin. unc. iij.
Sem. contus. papav. alb. unc. j.

Cum aq. decoct. spatio horæ per pannum press. ℔. IV. exhibe.

C

℞. *Aceti sambuci* dr. IV.
Aq. stillat. rosar.
sambuci an. ℔. ß.
Sal. ammon. dr. ß.

Spir.

Spir. matrical. dr. j.
Vitriol. Cypri gr. v.
M. pro fomento.

D

℞. *Aceti lithargyr.* unc. j.
Saccar. Saturn. ſcrup. ß.
Succi ſempervivi maj. recens preſſ. unc. j.
Ung. nutriti ſine corpore unc. jß.
M. F. linimentum.



DE PODAGRA ANIMI ac corporis fatigationibus ſuperveniente.

DEbita mentis applicatione excuſſi hiſtoriam morbi quo jam laborat Comes Illuſtriſſimus, omnibusque fideliter expenſis, tandem in hanc incidi ſententiam.

Ex laboribus ſupra humanis, quos mens attentiſſima noctes vigilatas, dies laborioſas ſuſtinuit per tam multos annos, id effectum videtur quod cerebrum ſemper actuoſum viſceribus ſubduxerit ſpiritus digeſtioni dicatos. Inde crudi humores aggeſti in ſyſtemate arteriæ cæliacæ, & meſentericæ, onerant ſplenem, jecur, pancreas, meſenterium, inteſtina, & officinam bilis. Cauſæ huic ſatis validæ in mala acceſſit largus ciborum duriorum, & vini fortiſſimi uſus, forte libidinis calidæ liberalior exercitatio, quæ ipſa in vigore ætatis acrius culta corpus ſolet enervatum ſenectuti tradere.

Quæ quidem omnia ita ſe habere evidentiſſime docent mala, flatus, vomitus, nauſeæ matutinæ, niſus partium in excretionem ſanguinis usque, & ſitis immanis, qua natura ardet diluere acria, craſſa attenuare, perque vias urinæ ſe exonerare a ſaburra alte impacta.

So-

Sola podraga medicina purgando profundo sanguinis senilis idonea equidem! sed salubris tamen, quippe quæ unice liberet cerebrum ab intentatis aliunde gravioribus capitis morbis. Hinc caute tractanda, ne scilicet, explodere virus impedita, recurrat ad vitalia summo cum periculo.

Hinc opus erit tutis remediis viscosæ, & piceæ, bilis atræ tenacitatem incidere, & fundere per ea quæ nimis non urgent; neque minus necessarium mulcere acre rodens, & urens, quod in succo atrabilario micat, quod imprudenter motum rumpit vascula; atque ea quidem dum molitur Medicus, vitæ interea viribus prospiciendum erit.

Igitur suadeo mane hora ante jentaculum deglutiat novem catapotia A. supersorbeat uncias sex de potu B. jentet post horam ex chocolata; hora ante prandium sumat de iisdem catapotiis septem; sorbeatque super his uncias IV. de decocto B. prandeat ex jure carnium cum incoctis oleribus lenibus pro mensa prima. Secunda apparetur ex assa recenti cum acidulis condimentis, claudatur maturis fructibus moderate sumendis. Vini mosellani boni usus erit præ cæteris. Hoc in morbo & tenuis quoque proderit cerevisia, ita tamen ne copia sit nimia, quia timetur diabetes a profusione largiore. Vesperi hora sexta proderit capere *quinque* iterum pilulas, & sorbere uncias IV. de B. Cœna ex jure carnium oleraceo, fructibus horæis coctis, lacte, vel paratis ex avena, hordeo, oriza.

Somnus vespere mature capiendus, neque pernoctandum post decimam; surgendum matutine, negotia peragenda tempore ante prandium; a cœna animus esto omni cura liber.

Corporis exercitatio prorsus necessaria, quantum negotia concedunt; quo crebrior eo rectior.

His

His quidem obſervatis prævideo omnibus occurſum iri malis, atque podagram mitiorem fore, & articulis mobilitatem redituram eſſe, quantum hæc autumno & hyeme obtineri poſſunt.

Verum ſimul ac Majus menſis illuxerit, & neceſſarium mihi videtur, & ſaluberrimum, ut liber ab omni negotio ad Spadanos properet fontes, ibidemque plenis faucibus hauriat. Optimum *Geronſter*, ejusque laticem continuato per ſesquimeſtre ſpatium uſu aſſumat: inde enim multum prævideo boni; imprimis ſi cum exercitatione quotidiana adjuvatur vis medicata aquæ, atque etiam victu debito promovetur actio hujusmodi; ita enim vires corporis inſtaurabuntur, atque mali ſubigetur materies, facile deinde expedienda ſolius naturæ ope, unde & animo facultas integra, & corpore tum denuo libere utetur, & commode obeundi debita & magna munera. Id faxit Deus! ſcripſi Leydæ 17$\frac{21}{10}$36.

A

℞. *Aloes puriſs.* dr. ſs.
Ammon. dr. ij.
Boracis venet. gr. XV.
Bulb. ari recent. gr. XXXV.
Caſtor. gr. vj.
Curcumæ dr. ſs.
Rhei dr. j.
Sapon. venet. dr. IV.
Terebinth. dr. ſs.
M. F. pilulæ ſingulæ gr. iij.

B

℞. *Fol. parietar.*
Scabioſ. an. m. j. ſs.
Rad. recent. eryng.
Fœnicul.

Gra-

Gramin.
Petroselin. an. unc. ij.
Sal polychrest.
Tart. vitriol. an. dr. j.
Cum aq. decoct. spatio $\frac{1}{2}$ horæ adde
Glycyr. unc. j. ss.
Ebulliant iterum parum, dein ℔. IV. decocti exhibe. (*a*)

(*a*) Tria ultima consilia præcedentibus litteris non sunt annumeranda, prima tamen vice in publicum prodeunt.

FINIS.